BIBLIOTHECA
PATRUM ECCLESIASTICORUM
LATINORUM SELECTA.

AD OPTIMORUM LIBRORUM FIDEM EDITA


CURANTE

E. G. GERSDORF

PH. D. AA. M. SER. DUCI SAX. ALT. A CONS. AUL. BIBL. UNIV.
LITT. LIPS. PRAEF. PRIM.

VOL. XIII.

M. MINUCII FELICIS OCTAVIUS. IULII FIRMICI MATERNI V. C. DE ERRORE PROFANARUM RELIGIONUM AD CONSTANTIUM ET CONSTANTEM AUGUSTOS LIBER. S. MEROPII PONTII PAULINI EPISCOPI NOLANI POEMA ADVERSUS PAGANOS. COMMODIANI INSTRUCTIONUM PER LITTERAS VERSUUM PRIMAS LIBRI DUO.



LIPSIAE

SUMTIBUS ET TYPIS BERNH. TAUCHNITZ JUN.

1847.

M. MINUCII FELICIS

OCTAVIUS.

IULII FIRMICI MATERNI V. C.

DE ERRORE PROFANARUM RELIGIONUM
AD
CONSTANTIUM ET CONSTANTEM AUGUSTOS
LIBER.

S. MEROPII PONTII PAULINI


EPISCOPI NOLANI
POEMA ADVERSUS PAGANOS.

COMMODIANI

INSTRUCTIONUM PER LITTERAS VERSUUM PRIMAS
LIBRI DUO.

RECENSUIT EMENDAVIT ATQUE ADNOTAVIT

FRANCISCUS OEHLER.



LIPSIAE
SUMTIBUS ET TYPIS BERNH. TAUCHNITZ JUN.

1847.

FRIDERICO AUGUSTO ECKSTEINIO

S. D.

AUCTOR.

Miraberis forte, Vir Ornatissime summeque mihi Venerande, quod Tibi, optimorum optimae aetatis scriptorum alumno purissimi elegantissimique sermonis laude apud omnes florenti, tantulum hocce opusculum meum inscribere audeam, aliquot scriptores continens sequioris et iam vergentis linguae Latiaris aevi labe infectos. Nec vero ipse ignoro meam oblationem Tuo nomine vix dignam habitum iri, sed tamen duo voluntatem meam aliquomodo excusare visa sunt. Primum tot tantaque Tuae in me humanitatis atque amicitiae symbola exstiterunt, ut ulterius comperendinandum non esse putem, quin animi mei sensus signo aliquo qualicumque publice contester; deinde intellexi criticas eiusmodi curas, qualibus proxime Arnobii Afri adversus Nationes libros, nunc hos quattuor Apologetas Latinos minores uno volumine coniunctos emendare studui, non esse Tibi improbatos. Scis enim quantum utilitatis ex studiis in his Apologetarum Christianorum libris sedulo positis ad rerum sacrarum et mythologiae, ad morum doctrinarumque genuinae antiquitatis ipsius cognitionem redundet, quid? permultos sequioris aevi scriptores et sermonis proprietatibus et vocabulorum vel archaice vel nove po-

sitorum copia grammaticarum rerum studioso fructum uberrimum praebere inter omnes convenit. Hinc igitur haec mea conamina habere spero, quo Tibi se commendent; si vero etiam critica ratio ea qua in hoc libro usus sum exspectationi Tuae satisfecerit, insignem industriae meae mercedem negotiique eius tulero, quo ea quae usui esse possent undecumque converrenda fuerunt. Habui autem ad scriptorum quos Tibi nunc offero emendationem praesidia haec:

In Minucio praeter eas quae in tanta farragine momenti esse poterant editiones usus sum collationibus duabus Codicis MS. Regii Parisini, ea scilicet quam Hildebrandus paucis abhinc annis instituit et appendicis loco addidit Arnobii suae editioni: altera a M. Crusio facta ad exemplum editionis Basileensis prioris, quod asservatur in Bibliotheca S. Michaelis Luneburgensi. De Crusii collatione Minucii idem fere statuendum est quod de eius Arnobii collatione iudicavi in praefatione meae eius scriptoris editionis proximo anno apud Lipsienses excussae. Concinit ea plerumque cum collatione Muralti, ab Hildebrandiana vero passim discrepat, quod quotiescumque factum est in adnotatione indicavi. Ex emendationibus virorum doctorum, quas antea per diversissimos libros dispersos Muraltus laudabili quidem diligentia collegit, etsi minore fructu, quippe quae pleramque partem prava auctorum iudicia prodant, — eas tantum excerpsi quas indicasse conducere videbatur, editionum quoque varietate lectionum recisa omni, si quid ne indulgentiori quidem critico iudicio probatum iri suspicabar. Meas emendationes iis tantum in locis in textum recepi, ubi Codicis MS. Regii lectione corrupta aliorum emendationibus nondum res expedita erat: ubique vero constanter id egi, ut et Codicis auctoritatem quam possem diligentissime servarem et simul a foedis librariorum mendis interpolatorumque re-

centiorum hominum vexationibus textum reficerem. In exegeticis adnotationibus, quas paucas addidi, brevitati consului, ne libri praescriptum modum excederem neve ipsius scriptoris orationis vigorem interpretis garrulitate infringerem.

Ad libellum Iulii Firmici Materni de Errore Profanarum Religionum aliud subsidium comparare mihi nullum licuit praeter exemplum aliquod editionis principis anni 1562. Nam de Codice Mindensi, ex quo Flacius Illyricus Firmici opusculum se edidisse ipse in praefatione sua profitetur, scripseram quidem ad V. D. Immanuel, Gymnasii Mindensis Rectorem, sed mox certior factus sum a V. D. Immanuel et a Mooyer, Viro Humanissimo, illum iam per centum et triginta abhinc annos desiderari neque in vicinarum urbium bibliothecis, ut Hannoverana Ducis Cantabrigiensis et Bremensi, in quas ex Mindensibus thesauris multa olim delata esse constat, neque volam neque vestigium eius comparuisse ullum. Iam cum fortuna unicum illum eoque pretiosiorem veterem librum nobis invidisset, eo diligentius feci ut principem editionem excuterem, ab nullo dum editore satis accurate inspecta aut ad textum emendandum et constituendum in auxilium adhibita. Nec spes ad incitum redacta est. Nam cum exemplum rarissimum cum reliquis editionibus, quae Woweri recensione innituntur omnes, contulissem, statim intellexi facili opera et locos permultos aut iam in illo archetypo corruptos aut a Wowero interpolatos illius ope sanari et maiorem partem lacunarum, quas vulgatus scriptoris textus traxit, posse expleri. Muenterus, novissimus Firmici editor, cuius est praeter ceteros insigne de hoc scriptore meritum, quamquam et ipse habuit editionem principem, tamen ea non ita uti voluit, ut, si criticam eius editionis partem spectes, quicquam ad Firmici sanitatem fecisse possit censeri. Cui

communi priorum editionum vitio nostra speramus tandem medicinam nos adhibuisse et textui scriptoris ita consuluisse, ut quantum per principem editionem sollertius pertractatam id fieri potuit, summa fide castigatus et emendatus demum prodiret. In adnotationibus omnia quae usui erant ex Muenteri aliorumque notis recepi meisque ita ad brevitatis modulum addidi, ut ne quae ad explicationem rerum aut verborum pertinerent desiderarentur.

De Paulini Nolani adversus Paganos Poemate nihil est quod moneam. Usus sum ad eius refectionem passim Val. Vonckii curis criticis, quae reperiuntur in eius viri Specimine Critico in Varr. Auctores (Traj. ad Rhen. 1744. 8.) inde a pag. 1. Textus in Opp. S. Paulini Nolani ed. Murator. Veronae 1726. fol. non differt a textu antea a Muratorio in Anecdot. tom. I. exhibito.

Superest ut de Commodiano pauca dicam, illo quidem aevi Cyprianei et styli prorsus ferrei scriptore, qui tamen quaedam haud spernenda ad mythologiam vel potius veterum ethnicorum cultum proferat et ad cognitionem vulgaris Afrorum idiomatis nonnihil utilitatis adferat. Editus est is scriptor primum a. 1650. Tulli Leucorum ab Rigaltio ex apographo vetusti cuiusdam codicis manu scripti quod ab Iac. Sirmondo acceperat. Qui codex cuias fuerit ne ipse quidem Rigaltius compertum habuit, sed postea Steph. Baluzius in adnotationibns ad Cypriani Opera et ad Lactantii Librum de Mortibus Persecutorum indicavit fuisse illum Andegavensem Bibliothecae S. Albini ibique se librum saepenumero ipsum vidisse. Rigaltii editio repetita est ad calcem Opp. Cypriani ed. Priorii Parisiis a. 1666. fol. et in Bibliotheca Patrum Lugdun. tom. 27., et seorsum cura H. L. Schurzfleischii Vitembergae Saxonum a. 1704. 4. Novissima editio est Davisii ad calcem Min. Felicis Octavii ed. Cantabrigiae a.

1712. 8. Textus est omnium harum unus Rigaltianus, nec novus codex ms. ullus ad corruptissimum scriptorem emendandum adhibitus. Davisius quidem in notulis suis, quas Rigaltianis addidit quasque in novae meae editionis commodum sedulo excerpsi, aliquot menda neque ea infeliciter plerumque ex coniectura sustulit, sed tamen multo maiorem partem aliis corrigendam reliquit. Schurzfleischius curis Rigaltianis, si praefationem, in qua inter alia de aetate et patria Commodiani contra Rigaltii errores disserit, exceperis, nihil novi addidit, sed a. 1709. „Supplementa ad Commodianum" edidit, in quibus secundas Rigaltii curas, quae exstant autographae in exemplo aliquo editionis principis olim Ezech. Spanhemii nunc vero Bibliothecae Regiae Berolinensis, una cum aliquot Lacrozii et suis ipsius emendationibus iuris publici fecit. Sirmondi Apographum, quod habuit Rigaltius, ubinam terrarum hodie extet non comperi. Reperitur sane apographum aliquod nitidissime scriptum apud Parisinos, uti cognovi ex Duebneri V. D. humanissimis litteris ad me nuperrime datis; extat alterum apud Lugduno-Batavos, sed num alterutrum Rigaltianum sit dicere non ausim. Neque de ipsis quotquot mihi comperti sunt Commodiani Codicibus MSS. spes mea rata fuit. De Codice S. Albini apud Andegavenses litteras dedi ad Matterum V. D., Bibliothecarum Provincialium in Gallia Inspectorem Generalem, et petii, ut mihi rescribere vellet, num ille adhuc exstaret, quod si ita forte esset, faceret ut collatio accuratior eius libri mihi procuraretur. Sed Matterus eo negotio humanissime suscepto brevi post certiorem me fecit in Andegavensi Bibliotheca Commodianum nullum inveniri. Interiit igitur ille pervetustus liber, cuius notitiam Baluzius fecit, aut fortasse in aliam bibliothecam illatus est, feliciori donum Mercuriale futurus.

Alter Commodiani Codex MS., qui quidem mihi innotuit, olim Meermannianus, extat hodie in locupletissima et splendidissima Bibliotheca Thomae Phillips, Baronis in Middlehill, saeculi XI. membranaceus, sicut Haenelii Catalogi pag. 861. testantur, titulo hoc: „Commodiani Instructiones per literas versuum primas seu acrostichides". Sed neque huius libri copiam mihi facere licuit, nec cui nostratium aditus illius bibliothecae pateret comperire potui. Itaque in adornanda scriptoris editione nonnisi iis subsidiis uti licuit, quae nota iam erant quaeque certe tanti esse mihi saepe sum gratulatus, ut veterem squalorem purgare et scriptorem illum aliquanto emendatiorem exhibere possem. Ut autem in duos libros Commodiani opusculum dividerem, quod Rigaltio praeeunte omnes editores uno libro absolvunt, feci auctoritate Steph. Baluzii, ex cuius adnotatione ad Lactantii Libr. de Mortib. Persecutorum capp. 16. et 11. apparet Codicem pervetustum illum S. Albini Andegavensem in duos ita libros divisum fuisse.

Haec, Vir Doctissime, Carissime, de mea horum scriptorum editione deque ratione et auxiliis quibus in ea adornanda usus sum praemonenda esse duxi. Vale et studiis meis fave.

LECTORI. S.

Habent sua fata libelli. Quadriennium enim abhinc quum primum edendi Arnobii consilium cepissem et jam multum in ea re elaborassem et quae usui esse possent non pauca collecta haberem, ecce fama ad me pervenit, G. F. Hildebrandum, tunc temporis Gymnasii Scholae Latinae, quae Halis floret, praeceptorem ordinarium, iisdem studiis teneri et novam Arnobii editionem ad novam Codicis Regii collationem a se accuratam proximis nundinis vulgaturum. Destiti igitur de meo consilio et scriptorem hunc meis curis adornatum umquam proditurum esse spem omnem deposui. Sed res aliter evenit. Nam postea quam Hildebrandi cura publici juris erat facta et a me studiose tractari et retractari coepta, mox intellexi permulta superesse adhuc quae medicinam desiderarent, et quum interea mihi facultas data esset, ut apparatum a M. Crusio olim in emendandum Arnobium collectum inspicerem in eoque multa nequaquam spernenda deprehenderem, repetitis pristinis studiis ad curandam novam scriptoris editionem denuo me conferre, simul, ne vana molirer, operis futuri redemptorem circumspicere coepi. Mox inventus erat qui se paratum esse diceret fideque data sumptus sese impensurum polliceretur, atque ego inde indefesso labore et assiduo studio neque ullo paene die intermisso, quin meo libro incumberem, ita rem meam egi, ut post duos fere annos jam illi nuntiare possem, eousque opus provectum esse, ut prelum subire posset. Quid autem tum fecit Sosius? Tergiversatur, crepat im-

pensas magnas, fructus exiguos, quos ex eo incepto redundaturos sibi persuasum et pro comperto habeat, denique verbis disertis operis instituti sumptus facere recusat pactumque nulla syngrapha confirmatum non dubitanter deserit. Jam quum me ita frustratum cognoscerem, taedebat paene denuo adire bibliopolas, et jam desperaveram me meum librum typis excusum proximo tempore conspecturum esse, quum eo ipso tempore ad me fama perfertur, Bernhardum Tauchnitzium, virum honestissimum, qui Bibliothecae Selectae Patrum Latinorum sumptus facit, quaerere qui Arnobii curam in se suscipiat. Dedi igitur nomen apud Gersdorfium, optimum virum, cujus auspiciis illa prodit Bibliotheca, et mox mihi rescribitur, acceptas fore meas curas Arnobio impensas, modo contraherem opus et amplioris editionis consilio misso ea tantum textui subjicerem quae necessitas efflagitaret. Quod quum bene posse fieri vidi, simul intellexi, nondum haberi scriptoris editionem commodiori usui accommodatam et paucis parabilem, condicione accepta contraxi mea et chartas transmisi.

Novis autem adminiculis in exornanda hac editione licuit uti his:

1) Collatione Cod. Reg. Parisini accuratissima, olim instituta a M. Crusio (a. 1725.) ad mg. exempli ed. Bas. 1546. 8.

2) Collationibus duabus Cod. Burgund. Bruxellensis, una ab Livineio, altera ab Anchersenio, M. Crusii amico, institutis, quibus accedebant excerpta ex eodem Cod. MS. manu Theodori Canteri et M. Crusii.

3) Excerptis ex Cod. aliquo MS. (?) ad marg. exempli cujusdam adnotatis, quae ab Duchat, medico Genevensi, olim accepta Ernstius, Profess. Soranus, peculiari libello publici juris fecit. Cf. Prolegg.

4) Emendationibus mss., partim autographis, P. Pithoei, D. Huetii, Rigaltii, Guyeti, Livinei, Cl. Memmii, Theod. Canteri, Cotelerii, P. Junii, Fr. Jureti, Is. Vossii, Puteani, Passeratii, Dalecampii, Aug. Buchneri, quarum tamen sex tantum priorum aliquis poterat esse usus.

Haec omnia benigne mihi concessa fuere et transmissa ex Bibliotheca St. Michaelis Luneburgensi.

Editiones ad manus habui et de integro contuli has: 1) Editionem principem a. 1543. (ed. pr.). 2) Editionem Basileensem a. 1546. (ed. Bas.). 3) Editionem Canterianam a. 1582. (ed. Cant.). 4) Editionem Ursinianam a. 1583. (ed. Urs. Cujus editionis numquam ante me satis accurate comparatae marginalia significavi per compendium: mg. Urs.). 5) Editionem Elmenhorstianam a. 1610. (ed. Elm.). 6) Editionem Lugduno-Batavam a. 1651. (ed. LB. Cujus editionis paginas numeris indicatas habes in mea editione.) 7) Editionem Oberthuerianam a. 1783. (ed. Oberth.). 8) Editionem Orellianam a. 1816. (ed. Orell.). 9) Editionem Hildebrandianam a. 1844. (ed. Hild.). — Editionis Stewechianae a. 1604. comparandae mihi facultas non contigit, et Ed. Heraldiana a.1605. tam sero in meas manus pervenit, ut conferendae ejus tempus deesset. Edd. denique Paris. a. 1666., Venetam Gallandii a. 1768. et Paris. a. 1715., quas Hildebrandus contulisse se simulat, ipse quidem neglexi, quia vidi duas priores ad verbum, atque adeo ad vitia typographica consentire cum Editione Lugduno-Batava a. 1651., tertiam, quia omnino non extat. Illarum autem editionum variantes lectiones sub textu scriptoris accurate indicavi, per duos tantum priores libros recisis nonnullis, quae parum ex re esse simul notarum ambitum nimis augere viderentur. Id autem omni industria egi, ut nusquam tacite a Codicis Regii (Cod.) lectione recederem, atque quantum per Crusii collationem fieri licuit, diligenter et syllabas adliteratas et non adliteratas exprimerem. Veterem orthographiam tam diligenter servavi, ut in omnibus sim Codicis auctoritatem secutus, ubi non librarii aut saeculi vergentis vitium conspicuum erat. Scripsi igitur: supe*r*lectilem, obtu*n*sus, hiem*p*s, tem*p*tare, ad*u*lescens, totie*n*s, quotie*n*s, conju*n*x, f*e*mina, f*e*tus etc. co*n*ubium, co*n*ixus, co*n*ivere, *c*otidie, *c*otidianus, *c*um, e*c*uleus, intell*e*go, compr*ae*hendo, repr*ae*hendo etc. sesqu*e*octavus, quindec*e*mviri, c*unc*tari, perc*unc*tari, etc. condic*i*o, con*t*io, pu*t*esco, nun*ti*o, etc. au*c*tor, au*t*umnus, delit*i*sco, trem*i*bundus, *t*us, obsc*e*nus, etc. Ju*pp*iter, tu*cc*etum, co*mm*inus, i*mm*o, su*c*us, cau*s*a, pau*l*isper, etc. be*l*ua,

solemnis, sollers etc. litterae, etc. sollicitus etc. lammina, simulacrum, sepulchrum, gurgulio, hejulare, hejulatus, umidus, umectus, taeter, caerimonia, maeror, paenitet, caelum, caenum, caepe, ceterum, levis, levigare, quippiam, quicquam etc. numquid, numquam etc. etc. In aliis vocabulis, in quibus scribendis minus constantem esse praebet, nec ego constantem esse debere me putavi, simpliciterque dedi quod ille habet. Vocabula autem hiccine, haeccine, hoccine, siccine an hicine, haecine etc., et composita verbi jacere duplicine littera *i* in Codice scribantur incertus sum. Illud quidem Hildebrandus solus affirmat, de hoc quicumque contulerunt MS. Regium silent, sed ita esse ex Crusianae collationis locis quibusdam colligi posse videtur. —

In Cod. Bruxellensis variantibus lectionibus rectius dicam vitiis adnotandis me brevius egisse qui illius rationem cognoverint facile veniam habebunt. Prorsus autem negligere illum ideo nolui, quia eo interdum firmari auctoritatem Codicis Parisini, cujus manum priorem subinde sequitur, facili negotio intellexi.

De textus Arnobiani glossematis tum iis, quae librarius Cod. Parisini punctis suppositis aperte indicavit, (quae omnia prudenter omissa sunt ab librario Cod. Bruxellensis) tum iis quae Hildebrandus deprehendisse sibi est visus, non est quod copiosius exponam. Suis locis invenies ea adnotata et judicio uteris. De lacunis denique et textus luxationibus quas vv. dd. passim statuerunt nempe initio libri secundi et fine libri quarti (cf. etiam libri VI, cap. 17. et 18. et libri VII, cap. 44. et Segmentum ad calcem libri additum et quae ibi adnotavi), quin vana omnino et inanis vulgaris opinio fuerit dubitaturum non puto qui quid ego sentiam ibi perlegerit. — Vale.

PROLEGOMENA.

De vita Arnobii tantum paucissima constant. Tradit Hieronymus in libello de Scriptt. Eccles. c. 79.[1]) eum Siccae Veneriae, Numidiae urbe, imperatore Diocletiano rhetoricam docuisse. Afrum natione fuisse licet neque Hieronymus neque alius scriptor disertim tradiderit, styli tamen genus omnino evincit. Tempus quo natus defunctusque sit nescitur, et quod Hieronymus in Chron. ad annum CCCXXVII. ad vicenalia Constantini eum floruisse memorat, quam parum id testimonium faciendum sit tum aliis rationibus tum ex eo potissimum efficitur, quod ipse in libello de Scriptt. Eccles., quem constat duodecim annis post Chronicon scriptum esse, l. l. eum sub Diocletiano floruisse affirmat [2]).

1) „Arnobius sub Diocletiano principe Siccae apud Africam florentissime rhetoricam docuit, scripsitque adversus gentes quae vulgo extant volumina."

2) Verba Hieronymi ad eum annum sunt haec: „Arnobius rhetor clarus in Africa habetur, qui quum in civitate Siccae ad declamandum juvenes erudiret et adhuc ethnicus ad credulitatem somniis compelleretur neque ab episcopo impetraret fidem quam semper impugnaverat, elucubravit adversus pristinam religionem luculentissimos libros et tandem velut quibusdam obsidibus pietatis impetravit." Quae verba quum Codd. MSS. Chronici Hieronymiani quotquot innotuerunt omnes adscripta praebeant ad a. 327., non est verisimile de suo loco mota in alium hunc migrasse per librariorum incuriam; nec tamen abest suspicio, quin ipse fortasse Hieronymus per oculorum aut calculi errorem ea ad vicenalia Constantini Nicomediae celebrata retulerit, quum tamen vellet referre et inserere ad a. 303., quo scilicet anno Diocletiani vicenalia celebrata essent. Hanc meam suspicionem non prorsus inanem esse ex ipsius Hieronymi quibusdam aliis locis firmari posse videtur. Tradit enim in Ep. 84. ad Magnum et in libello de Scriptt. Eccles. c. 80. Lactantium discipulum fuisse Arnobii, et in eodem ejus libelli capite eundem Lactantium affirmat

Somniis admonitum eum Christiana sacra amplexum esse idem Hieronymus, dubium qua fide, memoriae prodidit. Res enim ea etsi per se non prorsus sit incredibilis, pro illius tamen aevi ingenio veterum scriptorum Christianorum animi mirifice eo inclinant, ut virorum qui aliqua laude excelluerint, ad sacra Christiana transitus hujuscemodi fabulis exornent [3]). Neque multo certiora quibusdam videntur quae addit Hieronymus in Chron. l. l., Arnobium ab episcopo fidem, quam semper impugnavisset, non statim impetrasse nec prius ut admitteretur obtinuisse, quam oblatis his quos aetas nobis residuos fecit libris veluti quibusdam pietatis obsidibus [4]). Certe si vera narrat Hieronymus, ejus verba non ita urgenda sunt, ut putemus Arnobium libros suos ne praevia quidem qualicumque ad Christi doctrinam institutione imbutum elucubrasse. Diligentius enim hosce adversus nationes libros perlustranti quantamcumque librorum sacrorum dogmatumque ignorantiam auctor prodere videtur, ipsa tamen, ut recte judicat Nourryus, apologetici ratio luculenter manifestat, non esse id tumultuarium opus, quale urgens necessitas excutiat, sed haud vulgari studio atque cura elaboratum, neque ab homine rerum Christianarum omnino rudi immo earum satis gnaro adornatum, qui philosophicam inprimis novae disciplinae rationem quodque in ea esset rerum caput bene perspectum exploratumque haberet. Quae quum ita sint quumque constare videatur, Arnobium novae quam amplecteretur doctrinae certe capita percepta habuisse, jure nobis agere videmur, si statuimus

---

in extrema senectute in Gallia magistrum fuisse Crispi, (cf. Chron. Hieron. ad a. Chr. 318.) Constantini filii, quem jam a. 326. (Chron. Hier. ad a. 326.) a patre interfectum esse constat. Quodsi verum est, Arnobium circa a. 327. floruisse, apparet res perquam mira, videlicet illum eodem tempore aetate et fama adhuc floruisse, quo is, quem olim discipulum habuisset, ad extremam jam senectutem provectus esset.

3) Tzschirner Gesch. der Apologet. I, p. 287. —

4) ,,Si enim episcopi Christiani oculis atque judicio librum suum noster subjecisset, nonne gravissimi errores, in quibus auctor de animalium creatione, de animarum origine et natura disserens versabatur, ab illo notati et ab ipso antequam scripta publici juris faceret, expuncti fuissent, quamvis magna fuerit ecclesiae antiquae in docendo libertas?" Krog Meyer de Argumento et Ratione Apolog. Arnob. p. 38. —

illum saltem catechumenum fuisse tum, quum fidei, ut vult Hieronymus, et voluntatis probandae gratia opus suum conscriberet. Ipse quidem quam causam scribendi habuerit initio libri primi simpliciter sic exponit: se, quoniam comperisset nonnullos, qui se plurimum sapere crederent, criminatos, ex quo Christiana gens esse coepisset, in deterius esse versa multiformibusque genus humanum malis adflictum, statuisse obviam ire invidiae et malignas calumnias dissolvere, ne, si Christiani se ab earum refutatione continuissent, illi causam ab adsertoribus destitutam sese obtinuisse arbitrarentur. Cui quidem consilio omnis disputatio accommodata reperitur.

De tempore quo libros suos composuerit Arnobius nihil traditum est, nec quae in ipsis reperiuntur ejusmodi sunt indicia, ut componi inter se atque conciliari facile queant aut certi numeri ope eorum erui. Etenim si verba lib. I, cap. 13. „trecenti ferme anni sunt plus minusve aliquid, ex quo esse Christiani coepimus" probabiliorem interpretationem secuti ita capimus, ut non a Christo nato sed a condito coetu Christiano annos computatos putemus — id quod ita esse tum ipsa rei ratio tum alius locus lib. II, cap. 71. verisimile reddit, ubi ethnicos scriptor facit objicientes Christianis, eorum religionem ante quadringentos annos non fuisse — tertius locus ejusdem capitis, ubi ab Urbe condita anni quinquaginta et mille aut non multum ab his minus in annalibus numerari dicuntur, quamquam certius aliquid et exploratius polliceri videatur, vix tamen magis quam illi rem expedit, quia in ambiguo nobis relinquitur, quinam annales intelligendi sint. Interim tamen quum probabile non sit, Arnobium inusitatiorum esse unam alteramve in computandis annis secutum aeram, si Varronianam statuamus aut Fabianam, quas inter usitatiores quidem longissime dissidere constat, hoc commodi redundat, quod certa jam spatia constituere licet, intra quae libros suos composuisse Arnobius censendus sit. Quod si ad Varronianam calculum duxeris, habebis annum nostrae aerae CCLXXXXVI., si ad Fabianam, deducemur ad annum usque CCCIII. At his temporum spatiis minus finitis ne nobis omnino acquiescendum putemus, apposite suppetunt quaedam rationes, quibus admodum probabile efficitur, Arnobium non Varronianam esse sed Fabianam secutum. Si enim

Varronis calculo usus annos ab Urbe condita mille quinquaginta numeraveris, subsistes, uti diximus, in anno CCLXXXXVI., ultra quem terminum, quamvis sit ambiguus ab Arnobio redditus numerus per verba subjecta ,,aut non multum ab his minus,“ recedere non licet. Ita enim efficietur, Arnobium libros suos ante hunc annum exaravisse, quod ne quis facile opinetur hoc impedit, quod ipse lib. IV, cap. 36. queritur Christianorum scripta ignibus dari, conventicula immaniter dirui, quod Diocletiano IX., Maximiano VII. Coss. id est anno demum CCCIII. post Chr. natum factum esse constat [5]). Hinc necessario sequitur, ut Arnobii libros post annum CCCIII. editos esse ponamus, cui quidem suspicioni et altera ratio suffragatur.

Lactantium Arnobii discipulum fuisse Hieronymus memoriae prodidit [6]). Eum ex Africa Nicomediam, ut rhetoricam doceret, sub imperatore Diocletiano accitum idem auctor est [7]). Id quando evenerit quamquam non addit Hieronymus, tamen facili conjectura adsequimur, Lactantium aliquamdiu jam laude rhetorica florentem non prius Nicomediam esse accitum quam extremis Diocletianei regiminis annis, nimirum ad finem saeculi tertii, quo videlicet tempore, parta qualicumque bellorum continuorum quiete et pace, Diocletiano satis jam otii suppeteret ad splendorem Nicomediae, novae imperii sedis, eo augendum, ut bonarum artium litterarumque magistros, eo undique arcesseret. Jam vero Lactantius in Institutionum suarum Divinarum lib. II, cap. 1., ubi recensum exhibet vindicum Christianae religionis Latinorum, inter eos Arnobium ne verbo quidem memorat, neque alius apud hunc scriptorem, qui tamen non pauca ab aliis desumpta habet, extat locus, ubi lecti ab eo Arnobiani apologetici vestigium ullum appareat. Hae duae

---

5) Euseb. H. E. VIII, 2, Augustin. Breviar. Collat. c. Donat. c. 17. Cf. Nourryi Apparat. I, p. 284 sq. et p. 1716 sqq. Mosheim. Comment. de Reb. Christ. ante Constant. p. 915 sqq. — Alii ad aliam persecutionem haec verba Arnobii retulerunt (Orig. in Matth. c. 39. vol. XVIII, p. 80.). — Cf. Baronii Annal. ad a. 302. Ceillier Hist. Génér. des Ant. Sacr. et Eccl. III, p. 273. (ed. Par. 1732) et Tillemont Mém. de l'Hist. Eccl. IV. p. 767 sqq. Dodwell. Dissert. ad Irenaeum p. 197. —

6) Hieronym. Ep. 83. ad Magnum et de Scriptt. Eccles. c. 80.

7) Hieronym. de Scriptt. Eccles. l. l.

vero res quid aliud probant, nisi aut eo tempore, quo accitus sit Nicomediam Lactantius, nondum editum fuisse Arnobii opus, aut tum, quum ad suum apologeticum scribendum Lactantius sese accingeret, si illud jam scriptum et editum extiterit, magistri opus nondum tamen innotuisse discipulo? Lactantius autem ipse narrat Instit. Div. lib V, cap. 2. se destructo Christianorum quod Nicomediae erat templo impulsum esse, ut Institutionum Divinarum libros conscriberet. Quod consilium utrum sit statim exsecutus, an aliquot demum annis post, non multum refert, si quidem hoc saltem certum esse apparet, eum, qui post annum CCCIII. sese ad apologeticum suum componendum conferret, nihil adhuc compertum habuisse de opere praeceptoris, quod alias et legere et memorare nequaquam profecto intermisisset. His autem indiciis collatis cum iis, quae paulo supra ex ipsis Arnobii scriptis conjecturae et calculi ope constituimus, apparet ejus libros paulo ante id ipsum tempus, quo Lactantius suos elaborare inciperet, scriptos esse et editos paulo post annum CCCIII. Nam Arnobii liber secundus, cujus in cap. 71. auctor dicit mille et quinquaginta annos numerari ab Urbe condita usque ad ea quibus ipse scribat tempora, aut non multum ab his minus, si commodo hoc testimonio non temere ita utamur, collocandus erit ante annum CCCIII., quartus contra, in cujus cap. 36. Diocletianeam persecutionem memorat, aut ad finem ipsius anni CCCIII., quo illam institutam esse constat, aut, ut multum concedamus, ad annum maxime CCCIV. vel CCCV. optime referendus videtur.

Jam vero postquam de aetate scriptoris et de tempore quo suum opus conscripserit quaestionem ad finem perduximus, etiam de fontibus, quibus in eo elaborando usus sit, et de cognitione sacrarum litterarum, quam habuisse videatur, dicendum est. In qua quidem parte quia post Nourryum jam Meyerum diligentius versatum esse video, quumque pro modulo hujus libelli me vix breviorem illo futurum esse intelligam, juvat potius adponere, quae ab illo de hoc loco sunt disputata.

Sacras Arnobium Christianorum litteras cognitas habuisse multi quidem ob interiorem, quam in libris ejus deprehendere sibi visi erant, decretorum Christianorum et rerum a Christo gestarum peritiam locorumque nonnullorum

cum Jesu Christi Apostolorumque effatis similitudinem opinati sunt [8]). A quibus magnopere dissentio.

Primum enim quam celebrant dogmatum Christianorum peritia profecto ea non est, quae cuipiam persuadeat Arnobium sacra volumina versavisse. Quippe non modo nulla spiritus divini, bonorum angelorum, originis vitiositatis, quam tradunt tabulae sacrae, aut praecipui mortis Jesu Christi consilii ab eo mentio injicitur, quarum tamen doctrinarum maximam partem etiam catechumeno addiscere licuit [9]), sed alia dogmata ita ab eo exponuntur, ut cum iis, quae sacrae litterae his de rebus habent, ipsius sententiae nullo modo possint conciliari. Quum, ut hoc sumam, animalium quorumdam et animarum adeo humanarum originem a demiurgo nescio quo, qui sit a deo summo diversus et majestate multo inferior, repetat, ecquis eum credat sacrum Novi Testamenti codicem, nedum Moysis scripta lectitasse? Ubi vero improborum animas ad nihilum redigendas esse praefracte contendit, licetne opinari aliquid de Novi Testamenti *πυρὶ αἰωνίῳ* ad aures ejus percrebruisse? Atque omnino illa quam jactant dogmatum Christianorum scientia in iis major est, quae cum quavis subtiliore de rebus divinis philosophia communia nostra doctrina habet, quam in iis, quae huic propria et singularia sunt. Quare ambiguum redditur, sitne ea sapientia e rivis philosophorum potius, quam e limpidis Christianae disciplinae fontibus hausta. Deum esse natura perfectissimum et pietate adhibita amotis opibus adeundum, unicam salutis et incolumitatis viam esse vitam bene recteque ad ejus voluntatem constitutam, sapientissimi quique Graecorum Romanorumque jam praeceperant. Quae vero noster de consilio quo in terras missus sit sospitator prudenter satis monet, ea quidem sine dubio in institutione uniuscujusque, qui Christianis adscribi cupiebat, fundamenti loco ponebantur, neque tamen ea ipsa in omnibus cum sacro codice faciunt. Ergo licet multa ex mente et consilio scriptorum divinorum commode disputaverit, inde tamen non efficitur, eum etiam hos ipsos legisse, nec ita

8) Lardner Glaubwürdigk. d. evang. Gesch. I, 41 sqq. Schröckh Kirchengesch. I, 465. Circumspectius hac de re agit Tszchirner l. l. 294. —

9) Constitut. Apost. VIII, 40. Cf. Suiceri Thesaur. (ed. Traj. ad Rhen. 1746.) II, 71. —

disserere potuisse, nisi sacras tabulas perlustrasset. Jam vero quae de miraculis a Jesu Christo editis et orationibus habitis idem memoriae prodidit, ea, vereor, ne ejusmodi sint, ut potius aut ex apocrypho aliquo libro hausta aut fando tantum accepta videantur. Quum enim mira mirum in modum adaucta [10]) et res a sacris scriptoribus narratas ab Arnobio aliter commemoratas reperies [11]), tum etiam Christum de multis rebus docentem praecipientemque idem facit [12]), quarum non solum nulla in commentariis evangelistarum mentio fit, sed quas ne quispiam quidem, qui morem et ambitum institutionis Jesu Christi in his commentariis adumbratum cognitum tenet, ab eo umquam tractatas sibi facile persuaserit. Quam denique in singulis locis et sententiis cum effatis sacrorum scriptorum similitudinem deprehendere sibi nonnulli visi sunt, ea certe non tanta esse videtur, ut inde certum judicium ferri possit. Etenim quum nonnisi pauca istiusmodi loca inveniri possint, quae speciem aliquam similitudinis cum sententiis quibusdam sacrarum Novi Foederis tabularum prae se ferunt, eorum nonnulla [13]), quae in ipsis verbis ad effata maxime Paulina prope accedunt, sententias de medio sumptas, haud dubie a Christianis multo usu vulgatas, exprimunt. Ecquis autem inde quod scriptor hujuscemodi sententiam de medio sumptam adhibuit, quam auribus fortasse arripuerit, colligere ausit, lectum ab eo librum quemdam, cujus auctor eadem forte usus reperiatur. In aliis locis [14]) non tam in verbis, quam in ipsis sententiis

---

10) Cf. I, 46. 53. —
11) I, 46.
12) I, 38. II, 61.
13) Ad hanc classem refero 1) locum II, 6: ,,Numquamne illud vulgatum perstrinxit aures vestras, sapientiam hominis stultitiam esse apud deum.“ Quae verba proxime accedunt ad Paulina I Corinth 3, 19: *„ἡ γὰρ σοφία τοῦ κόσμου τούτου μωρία παρὰ τῷ Θεῷ ἐστι.“* 2) locum II, 74: ,,Neque enim promptum est cuiquam Dei mentem videre,“ quo exprimi videtur Paulinum illud Rom. 11, 34: *„τίς γὰρ ἔγνω νοῦν κυρίου.“* 3) locum I, 6: ,,Malum malo rependi non oportere,“ qui similitudinem cum Matth. 5, 39., maximam autem habet cum Rom. 12, 17. *„Μηδενὶ κακὸν ἀντὶ κακοῦ ἀποδίδοντες“* (cf. I Thess. 5, 15. et I Petr. 3, 9.).
14) His accenseo 1) locum II, 65: ,,Et hoc necesse ab nobis est ut debeatis accipere, ab nullo animas posse vim vitae atque incolumitatis accipere, nisi ab eo, quem rex summus huic muneri officioque praefecit; hanc omnipotens imperator esse voluit salutis viam, hanc

similitudo aliqua cum effatis scriptorum Novi Testamenti inest. At vero illa ipsa ita sunt expressa, ut fragmenta contionum, quibus interfuerit auctor, potius nonnulla eorum existimem, quam ex sacris litteris proprio studio hausta putem [15]), in aliis autem similitudo sententiarum ex simili de iisdem rebus sentiendi ratione facile potuerit enasci. Atque quum auctori, seu interioris admissionis jam factus seu sacro lavacro nondum tinctus opus suum confecerit, conventus tamen Christianos adeundi et lectiones atque expositiones evangeliorum audiendi copia fuerit, non adeo mirum videri potest, si ejusmodi quaedam orationum lumina animo infixa tenuerit. Enimvero omnino non major mihi videtur quam prae se fert Arnobius dogmatum Christianorum et litterarum divinarum cognitio, quam ut vel auditis doctoribus Christianis vel lectis eorumdem libris eadem instrui potuerit. Quippe quum non pauca in ipsis ejus libris indicia extent, eum priorum apologetarum unum alterumve opus, Clementis certe Alexandrini Protrepticum et fortasse aliquos Justini et Tertulliani libros oculis perlustrasse, haud adeo improbabilis opinio videtur, eum si quae in libris accuratiorem rerum Christianarum scientiam prae se ferant, haec illi lectioni accepta referre. Ceterum Veteris Testamenti umquam ab Arnobio lecti aut pro sacro Christianorum codice habiti ne unum quidem in libris ejus vestigium animadvertimus, sed haud pauca quae contrarium potius

---

vitae, ut ita dixerim, januam, per hunc solum est ingressus ad lucem.“ (cf. Joh. 10, 7—9. et 14, 6.). 2) locum II, 64: „Non aequaliter liberat qui aequaliter omnes vocat? Patet, inquit, omnibus fons vitae, neque ab jure potandi quisquam prohibetur.“ (cf. Joh. 4, 14.). 3) locum II, 61., ubi Jesu haec verba tribuuntur: „Vestris non est rationibus liberum implicare vos talibus et tam remota inutilitate curare. Res vestra in ancipiti sita est, salus dico animarum vestrarum et nisi vos adplicatis dei principis notioni, a corporalibus vinculis exsolutos expectat mors saeva“ sqq. (cf. Matth. 6, 33.). 4) locum III, 24: „Non fervorem genitalem solis deus noctis et tempora, ventos, pluvios, frugis cunctis subministrat aequaliter, bonis, malis, injustis, justis, ingenuis, servis, pauperibus, divitibus?“ (cf. Matth. 5, 45.). 5) locum prae ceteris memorabilem I, 65: „ipsius mortis extinctor.“ (cf. I Corinth. 15, 26.). —

15) Ita primum locum fragmentum aliquod homiliae in Joh. 10, 7—16., secundum ex expositione aliqua narrationis de muliere Samaritana vel verborum Jesu ap. Matth. 11, 28. haustum, tertium ex contione de verbis Jesu ap. Matth. VI, 33. habita mutuatum arbitror.

probent. Omnis enim illa disputatio, quam contra sacrificia instituit [16]), ita est comparata, ut quaecumque in sacra ethnicorum tela jaculatur, eadem in ritus in Vetere Testamento praescriptos et librorum, qui ea praecipiant, auctoritatem adversarii facili negotio retorquere potuerint. Neque de allegorico Veteris Testamenti interpretandi modo ei quicquam constitisse videtur, quandoquidem summo cum studio et copia vagam ac perversam hanc explicandi rationem impugnavit [17]). Accedit quod uno loco [18]) ita Arnobius verba facit, ut in suspicionem veniat, ne pro fontibus quidem religionis Christianae cognoscendae satis limpidis hos libros habuisse, sed parum honorifice de iis statuisse, utpote qui nebulis et verborum involucris essent obducti.

Quamquam itaque mirum sane et vix credibile videri debet, hominem tanto ingenio, tot litteris praestantem, ad libros, qui a secta, cui aut jam erat adscriptus aut adscribi cupiebat, pro sacris habebantur, legendos pervestigandosque animum non applicuisse: tota tamen ejus de rebus divinis disputandi ratio facit, ut eum in eorum lectione potius omnino rudem quam vel leviter ea tinctum censeam. Atque ea plus apud me valet, quam quod ab aliis de infrequente litterarum sacrarum in libris ejus usu rerumque ignorantia, de quibus diserta satis sit scriptorum divinorum institutio, monetur. Etenim in disputatione adversus ethnicos argumentationis e sacris litteris quaerendae non ita magnum esse usum recte potuit arbitrari, si vel ipse in iis optime esset versatus [19]). Identidem etiam a diserta rei in quaestionem vocatae expositione ideo fortasse abstinuit, quod pro aevi sui more aut disciplinae Christianae mysterii nescio cujus augusti velamen obtendere aut ambitiosum aliquod silentium obtinere voluerit [20]). Verumtamen sunt et alia loca non adeo pauca, ubi sententiam suam ab institutione sacrorum scriptorum omnino abhorrentem proponit, in quibus cur, si ipse rectiora novisset, non candidus impertivisset, nulla idonea causa apparet. Aliquanto minus forsitan illi tribui oportet argumento, quod ex iis, quae de rebus

16) Lib. VII, c. 1 sqq.
17) Lib. V, c. 31 sqq.
18) Lib. III. c. 12.
19) Cf. Lactantii judicium de Cypriano Instit. Div. V, 1 et 4. —
20) Rössler Biblioth. der Kirchenv. III, 352. Schröckh l. l. I, 462. —

ab Jesu Christo gestis a Novi Testamenti fide aliena refert, quum constet veteres in adhibendis scriptis apocryphis multum sibi indulsisse. At vero ita fortasse excusari possunt quae ab eo praeter narrationes evangelistarum memorantur, sed non video, cur si de re aliqua gesta ex eorum monumentis veriora et certiora cognita habuisset, his relictis limpidis veritatis fontibus rivulos aliorum lutulentos potius sectatus sit. Quae quum ita sint, nostrum non modo Veteris Testamenti omnino rudem, sed vix ac ne vix quidem Novi lectione imbutum pronuntiare equidem non dubito.

De aliis scriptoribus, quos in opere elaborando Arnobius consuluisse videatur, brevius commemorare licet. E Christianis Clementem Alexandrinum pressius subinde secutus est, e cujus Protreptico integrae sententiae, constanter tamen celato auctoris nomine, desumptae reperiuntur. Cum Tertulliani Apologetico et Justini Epistola ad Diognetum quum nonnulla communia habeat, non abest suspicio, hos saltem horum scriptorum libros eum lectitavisse. Ceterorum scriptorum qui passim adlegati apud Arnobium leguntur quorumque nomina in indice editioni nostrae subjecto habes, admodum magnus est numerus, vel detractis iis, quos non ex ipsorum scriptis, sed ex Clemente aliisque cognitos eum habuisse appareat. Lucretium, Varronem, Ciceronem et Platonem ei in deliciis fuisse quum ex affectata dictionis Lucretianae imitatione, tum ex trium horum philosophorum, quos passim laudibus nobilitat, penu depromptis colligi potest.

Quo magis vel ex his paucis, quae in hunc locum sunt disputata, Arnobium vulgaris neque eruditionis neque ingenii scriptorem esse intelligitur, eo magis debet mirum videri, quod tanti viri libros sequens aetas inter tot minoris pretii scriptores non solum non magni fecisse, sed neglexisse videatur. Si enim Hieronymum excipias, in tanto scriptorum ecclesiasticorum grege vix unum inveneris, qui illius vel nominis mentionem aliquam fecerit, nedum ejus opus pertractasse existimandus sit. Styli inaequalitatem illam jam ab Hieronymo in eo vituperatam [21]) et difficiliorem struendi rationem, quae Afris scriptoribus

21) Hieronym. Ep. ad Paullin. I, p. 324. ed. Valars.: „Arnobius inaequalis et nimius est absque operis sui partitione confusus.“

fere propria sunt, rariorum vocabulorum aut obsoletorum aut nove positorum usum impedimento fuisse suspicor, quominus multos per saecula lectores inveniret, ne illud commemorem, ejus scripta Gelasii decreto propter errores et dogmatis sacrorum librorum repugnantia quaedam in iis obvia olim inter apocrypha esse rejecta. Atque ita factum esse arbitror, ut hi adversus nationes libri per medium aevum rarius tantum stylo multiplicarentur, ut facile eamdem sortem trahere potuissent, quod aliud scriptoris opus, quod erat de Rhetorica Institutione [22]), traxisse conquerimur. Cetera enim quae sub Arnobii nostri nomine vulgo feruntur scripta, Commentarii in Psalmos, Adnotationes in quosdam Evangelistarum locos, Conflictus Arnobii Catholici cum Serapione Aegyptio de Deo Trino et Uno [23]), non magis sunt illius, quam Aeneidos libri sunt Moysis vel Jeremiae. Vetustum vero Arnobium, cujus ipsius nunc libris praefamur, praeter illum de Rhetorica et hos adversus nationes libros etiam alia opera edidisse Trithemius affirmat quidem, quibus vero auctoribus id sciat non addit [24]). Sed quum Trithemius etiam Commentarios in Psalmos nostro Arnobio attribuat quumque Hieronymus praeter illa duo plura ab eo scripta non recenseat, ea quae Trithemius indicat scripta potius ad illum quem vulgo dicunt Juniorem Arnobium, qui in Psalmos commentatus est, aut si qui praeter hunc tertius hujus nominis scripsit, — id quod inde verisimile est, quod

22) Trithem. de Scriptt. Eccl. (loco infra laud.) solus mentionem hujus libri facit, nec fontem scio, unde hauserit.

23) Habes haec tria diversorum auctorum opuscula in Biblioth. Patr. Max. Lugd. Tom. VIII, inde a pag. 203. Cf. Fabric. Bibl. Lat. Med. et Inf. Aetatis s. v. Arnobius Junior. Bähr Gesch. d. Röm. Litt. Sect. II. p. 378 sq. et quos ibi citat.

24) Trithem. de Scriptt. Eccl. (Bas. 1494. fol.) fol. 10, a. „Arnobius presbyter, philosophus et rhetor insignis, cum adhuc gentilis rhetoricam doceret, divina miseratione vocatus Christianum se coepit profiteri. Cumque ad episcopos accedens se baptizari expeteret, non credebant, veriti ne vir saeculari tumens eloquentia sacramentis fidei conaretur illudere, et ideo sententiam differebant. Arnobius vero cernens sibi fidem minime adhiberi, in argumentum sinceritatis suae scripsit et obtulit episcopis insigne volumen Adversus Gentes li. VII. (sic). In Psalterium quoque li. I., de Rhetorica Institutione li. I., alia quoque multa edidit, quae ad notitiam meam non pervenerunt. Docuit in Africa Rhetoricam sub Diocletiano principe, habuitque multos egregios et nobiles discipulos, qui viri doctissimi evaserunt.“ —

et illa, quae supra commemoravi falso nostro Arnobio adscripta, non ejusdem auctoris esse indicia non desunt — ad alium quempiam referenda fuisse videntur.

Apologetici Arnobiani nunc quidem Codd. MSS. habentur hi:

1) Parisinus, Regius, nro. 1661. membranaceus, quadruplicatus, vocabulis distinctis et minusculis characteribus exaratus, paucis scripturae compendiis, atramento flavescente, paene aureo, foliorum 190., quorum 28. continent Minucii Felicis Octavium tamquam octavum librum septem prioribus Arnobii additum. Saeculi videtur esse IX. vel X. [25])

2) Bruxellensis, Burgundiacus, nro. D, 685. membranaceus, quadruplicatus, vocabulis distinctis, minusculis characteribus, pallidiore atramento exaratus, pluribus scripturae compendiis, foliorum 82., quorum 12. ultima continent Minucii Felicis Octavium tamquam octavum Arnobii librum. Is Codex valde est depravatus, multis vocabulis et lineis mutilus, et transscriptus ex Cod. Parisino saeculo, uti videtur, XI vel XII. [26])

Codex Regius Parisinus num sit idem cum illo, ex quo effluxit editio princeps, multi addubitarunt.

Rem ita esse, ut jam olim affirmarunt Rigaltius, Lud. Carrio, Scaliger et alii [27]), ita et hinc non parum firmatur, quod ex saeculo MDC. fere medio Codicis illius Sabaei, quem nescio qua fide tradunt Bibliothecae Vaticanae fuisse, hucusque vestigium non apparuit ullum [28]). Neque profecto Fulvius Ursinus, cui olim si cui alii ad illam Bibliothecam patebat aditus, si revera Vaticano aliquo Codice uti licebat, in adornanda sua editione hoc facere intermisisse existi-

---

25) Cf. de hoc Cod. MS. quae profert Ed. de Muralto in Prolegg. ad ed. Min. Fel. Octav. p. I sqq.

26) V. Ed. de Muralto l. l. p. V sqq. Nuperrime eum Cod. MSS. contulit Lerschius V. D.

27) Rigalt. in Praef. ad ed. Min. Felic. Octav. ed. Lutet. 1743. 4. Scaligerana p. 33. ed. Colon. 1695. 8. Lud. Carrion. Emendd. I, 9. Luc. Holsten. ap. Ed. de Muralto l. l. p. X, adn. 28. Cf. me in Censura Arnobii ab Hildebrando editi insert. Ephem. Litt. Hal. 1845. Nov.

28) Codicem Arnobii in Bibl. Vaticana extare nullam nuperrime mihi affirmatum est ab amico quodam Romae degente. Cf. me in Ephem. Litt. Hal. l. l.

mandus erat[29]). Ita admodum probabilis redditur eorum conjectura, qui Codicem Arnobii illum ipsum, qui nunc Parisiis adservatur, ex dono Fausti Sabaei Brixiani ad Franciscum Valesium, cui dedicata est editio princeps, una cum exemplo ejus dedicatorio transmissum fuisse opinati sunt. Codicis vero Parisini collati cum ed. pr., quae, ut editores affirmant, summa adhibita fide ex Codice Sabaei recusa erat, non tanta est diversitas, ut diversos esse

29) Dicit quidem Ursinus in dedicatione suae editionis ad Gregor. XIII. Pontif. Max. ex Cod. Vaticanae Bibliothecae a Sabaeo editum fuisse Arnobium, ipsum vero Cod. aliquo usum esse vestigium extat nullum. Male enim intellexisse Ed. de Muralto verba pag. 242. margini addita: ,,Hostanes. sed non placet. primum quia vetus liber habet Sosthenes: deinde quia sqq.“ in aperto est. Vetus librum ibi dicit ed. principem. Codicem vero illum non Bibl. Vaticanae, sed ipsius Sabaei possessionem fuisse, paene pro comperto habere nos jubent verba Sabaei in dedicatione ed. pr. ad Franciscum Valesium, Gallorum Regem: qualem enim docti viri e manibus meis vix extorsere, sponte et lubens majestati tuae, quam multis epigrammatum lusibus decantavi et excolui (V. Fausti Sabaei Epigrammat. Libr. V. Rom. ed. 1556., cujus operis exemplum possidet Bibl. Acad. Götting.) dedico et dono. Jure enim belli meus est Arnobius, quem e media barbarie non sine dispendio et discrimine eripuerim.“ Quibus verbis etiam verisimile redditur Sabaeum Codicem suum forte in septemtrionalibus Europae oris deprehendisse. Saepius etiam in versiculis populos truces et feros mediamque barbariem crepat, unde summo cum discrimine et labore et suis adeo sumptibus codices antiquos protulerit, quorum exquirendorum causa a Leone Papa et ejus deinceps successoribus missus fuerit. Et in illis quidem regionibus olim extitisse Codd. MSS. Arnobii tum inde colligi potest, quod Cod. ille, qui hodie Bruxellis adservatur, ipse olim in possessione Monasterii Sti. Michaelis Luneburgensis fuit, tum ex eo, quod tradunt Schurzfleischius, (ad oram exempli alicujus Arnobii, quod adservatur in Bibl. Duc. Saxo-Vimariensi) et Casp. Barthius, (ad Guil. Briton. Philipp. p. 191.), scilicet Saxoni Grammatico olim lectum fuisse Arnobium. In Saxonis autem Sealandici libris quamquam vix ullum ejus rei indicium indagare potueris, vix tamen dubitandum videtur, quin vv. dd. non praeter fidem et certam aliquam auctoritatem illud concinente ore affirmaverint. Ipse autem Codex, qui hodie Parisiis adservatur in se non habet quod patriam prodat, nisi quod Leges Langobardicae tres in folii 190. tergo characteribus, qui haud multum ab iis, quibus Arnobius et Minucius scriptus est, additae verisimile reddunt, illum in Italia exaratum fuisse. (cf. Ed. de Muralto l. l.). De qua re procul dubio multo certius nobis constaret, modo legi possent verba pag. XLVI. Minucii superscripta multo recentioribus characteribus, quorum primi tantum in vocabulum aliquod conformandi erant scil.: Cenobii. —

Codices statuendos suspicio ullo modo enasci nedum firmari possit.

Codex Bruxellensis olim erat Monasterii Sti. Michaelis Luneburgensis, unde sibi eum paravit Flacius Illyricus [30]), cujus post mortem cum tota bibliotheca transiit in possessionem Petraei [31]), qui viduam a Flacio relictam in matrimonium duxerat. A Petraeo illum in aliquod tempus concessum accepit Franc. Modius, qui eum in Godesc. Stewechii usum, qui tunc temporis novam Arnobii editionem adornabat [32]), contulit, et postea, ut item eo uteretur, Lud. Carrioni concessit, quo mortuo ex testatoris voluntate pervenit ad Jo. Livineium, Cathedralis Antverpiensis tunc Canonicum et Cantorem, reddendus tamen, ubi Livineius eo usus fuisset, Franc. Modio, qui eum Lud. Carrioni procuraverat [33]). Sed casu factum est, ut post Livineii mortem ab Jesuitarum Collegio Antverpiensi Codex non redderetur, sed in ipsorum bibliotheca repositus remaneret, donec inde in breve tempus Parisios indeque in Burgundiacam denique Bibliothecam, ubi hodie servatur, migravit [34]).

Praeter hos duos libros Arnobii manu exaratos alii innotuerunt nulli. Habuit quidem Henricus Ernstius in ora

---

30) V. me in Ephem. Lit. Hal. l. l.

31) V. Schönemanni Biblioth. Historico-Lit. Patr. Lat. tom I, pag. 175 sq.

32) V. Stewechii Praefat. ad ed. Arnobii.

33) Extabat olim Antverpiae in Biblioth. Societatis Jesu exemplum ed. Bas. (1546.) Arnobii cum notis mss. Livineii, cujus in fronte primi libri haec verba Livineius adscripserat: ,,Decedens Lud. Carrio testamento mihi legavit Arnobium suum ed. Roman. cum Par. collatum. Itaque a p. 44. vacabit hoc signum. A qua item deinceps L. (h. l. Luneburgense) citabimus fide nostra; nam id ipsi diligenter tractavimus, submissum ab executoribus jussu testatoris, reddendum tamen, ubi eo usi essemus Franc. Modio, qui id Carrioni procuraverat. *R.* editionem Romanam, p. conjecturas signat. *P.* Bibliothecae Regiae exemplar prope Parisios. *L.* Luneburgense Sti. Michaelis, tractatum a Carrione cum cura utrumque.'' Descripsit haec verba M. Crusius.

34) M. Crusius Codici Brux., dum is adhuc in Bibl. Jesuitarum Antverp. extabat sub nro. 67., haec verba ei manu Livineii praefixa invenit: ,,Johannes Livineius, Cathedralis Antverp. Canonicus et Cantor, aliquot pagellis perturbatum Codicem in ordinem componebat a. MDXCVIII.'' — Cf. etiam Ed. de Muralto l. l. p. V, adn. 11. et me in Ephem. Lit. Hal. l. l. —

exempli alicujus editionis Arnobii adnotatas alicujus Codicis, ut liber prae se ferebat, variantes lectiones, quas olim Joanni Maire, bibliopolae Lugdunensi, qui editionem Arnobii Lugdunensem curans viros eruditos ad Arnobii scripta exornanda invitaverat, typis transmisit expressas. Sed num revera sint eae variantes lectiones veteris alicujus Codicis diversi a Parisino, adhuc dubitandum est, quamquam in quibusdam dissidendi ab isto speciem quamdam prae se ferre videantur. Certior haud dubie res est de duobus aliis Codicibus, quos jam pridem ex Anglia deportatos anno 1612. inter alios libros mss. Parisiis „nobili cuidam Germano" venditos esse refert Labbeus in Biblioth. Nova MSS. Librorum p. 371. Quos quidem Codices hodie quoque superstites esse non adeo incredibile videtur esse, ut non optandum sit, ut viri eruditi eorum vestigia indagandi certe periculum facere velint.

De Petropolitano aliquo Codice MS. famam omnino falsam fuisse docui in Ephem. Litt. Hal. 1846. Nov.

Editio Arnobii princeps prodiit Romae anno 1543. fol. hoc titulo:

Arnobii Disputationum (sic) *Adversus Gentes* (sic) *Libri Octo* (sic). *Nunc primum in lucem editi. Romae Apud Franc. Priscianen. Florentinum.* s. a.[35]). — Praefationi vel dedicationi Fausti Sabaei Brixiani ad „Illustrissimum et Invictissimum Regem Gallorum Franciscum Valesium", in qua dicuntur Hieronymus Ferrarius et Franciscus Priscianensis accurandae editionis provinciam suscepisse librumque „a variis et enormibus vitiis atque erroribus vindicasse", subscriptus est praeter nomen Sabaei annus MDXLIII. et verba: „Romae e Bibliotheca Palatina calen. Septembris." Decreto Pauli III. Pontificis, quo cavetur ne quis librum intra decennium proxime futurum inprimat vel inprimi faciat aut impressa alibi quam Romae vendat aut venalem habere sine Fausti Sabaei, Bibliothecae Vaticanae Custodis, licentia audeat, subscriptum est. „Datum Romae apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die XIII. Augusti MDLXII. (sic) Pontificatus nostri anno octavo." Ad calcem libri, qui continet folia CII., legitur: „Romae In aedibus Francisci Priscianensis M.D.XLII." —

35) M. Crusius putabat hanc editionem bis eodem anno impressam fuisse, quum in exemplari isto Parisiis adservato, cui Dalecampii notae adscriptae sunt, fol. 45, p. 1. Mellonam impressum invenisset, sine ullo indicio liturae typographicae. Cetera enim quot vidit ed. pr. exempla constanter Melloniam eo loco exhibebant, uti praebet etiam id ipsum quod possidet ex Apparatus M. Crusii reliquiis Biblioth. Sti. Michaelis Luneburgensis exemplum, quod ipse contuli.

Sequuntur jam reliquae Arnobii editiones:

Arnobii Disputationum Adversus Gentes libri VIII. nunc demum sic accurati ut ab eruditis sine ulla offensatione et cum majore lectionis operaepretio cognosci possint. Accessit Index eorum quae notatu digna sunt. Basileae, MDXLVI. (Froben.) 8. — Editio a Sigismundo Gelenio accurata est et dedicata D. Gilberto cognato Canonico Nazoretensi. Gelenium in emendando textu ed. principis licet interdum plus justo ingenio indulserit, tamen summam sagacitatis et judicii laudem sua editione promeruisse quivis Arnobio amicus facile confitebitur. — Repetita est haec prior Basileensis anno 1560. 8. una cum Arnobii Junioris Commentariis in Psalmos sub hoc titulo:

D. Arnobii Afri vetusti pariter ac laudatissimi scriptoris Commentarii pii juxta ac eruditi in omnes Psalmos per Des. Erasmum Roterodamum proditi et emendati. — Ejusdem Disputationum (inde a pag. 456.) *adversus Gentes libri VIII. Sigismundi Gelenii cura castigati cum Indice copiosissimo. Basileae M. D. LX. (Froben.).*

Opera Tertulliani et Arnobii quotquot ab interitu vindicari summorum virorum industria potuerunt, cum veterum exemplarium, tum recentiorum collatione instituta, locis scripturae aucta et illustrata commentariis sqq. Omnia studio et labore Renati Laurentii de la Barre. Parisiis ap. Guil. Julianum MDLXXX. fol. — Textus plane est Gelenianus, conservata religiosissime ipsa interpunctione et omnibus Frobenianorum operarum erroribus. Praefixa sunt unicuique libro argumenta, addita marginalia et index rerum memorabilium. Scholia textui subjecta non magni sunt pretii. —

Arnobii Disputationum Adversus Gentes Libri Septem recogniti et aucti. Ex Bibliotheca Theodori Canteri Ultrajectini, cujus etiam Notae adjectae sunt. Antverpiae. Ex Officina Christophori Plantini. M.D.LXXXII. 8. — In Praefatione Canterus haec dicit: „Nullas autem conjecturas quamvis veras et certas textui inseruimus, sed quicquid a nobis mutatum et additum fuit, auctoritate et fide Romani Codicis [h. e. editionis princ.] factum est. Verum ubi melius, quod substitueremus, non habebamus, secuti sumus lectionem Gelenii, (qui nimium quantum sibi in hoc auctore emendando indulsit, homo alioquin doctissimus et de re litteraria optime meritus) quamvis interdum falsam et a veri vestigiis procul remotam. Et quam plurimis in locis (quod praefiscine dixerim) subdola illius et adulterina lectione rejecta veram ac genuinam scripturam reposuimus." Canterum novae editionis Arnobii vel commentariorum spem fecit in Praef. ad Lectorem et in Nota 5. ad Libr. VI. p. 278., sed iis elaborandis immortuus est. Quas autem in praesenti addidit notas, eae nonnisi emendationum rationem reddunt aut Clementis Alexandrini locis comparandis inserviunt.

Haud raro autem ad Jos. Scaligeri, Turnebi, Lipsii et Mureti conjecturas Canterus provocat. Inscripsit ille Arnobium Valenti Guellio Pimpontio in Curia suprema Parisiensi Senatori, epistola data Ultrajecti Idib. Nov. 1581. Numeri in margine textui adscripti non capita vel sectiones, ut Schönemannus autumat, designant, sed referendi sunt ad notas ad calcem libri additas. —

Arnobii Disputationum Adversus Gentes Libri Septem. M. Minucii Felicis Octavius. Romana editio posterior et emendatior. De Licentia Superiorum. Romae. Ex Typographia Dominici Basae. M.D.LXXXIII. 8. — Ex Praefatione discimus Petrum Chiaconum Hispanum auctore Antonio Carafa Cardinale in emendando Arnobio olim studium posuisse, sed fere jam absoluta, nondum autem perpolita libri emendatione, importuna morte ereptum correctiones Antonio Carafae, si ei videretur, publicandas testamento reliquisse. Is Cardinalis perpoliendi et pervulgandi provinciam Fulvio Ursino credidit, qui Chiaconi, Gelenii, Sighicelli aliorumque hominum doctorum emendationibus, quae in Arnobium variis locis dispersae circumferebantur, in unum collectis diligenterque examinatis eas tantum ex his in textum recepit, quae et multorum judicio probatae et sine ulla controversia verae visae essent. Quae autem non ita certae videbantur, ut tuto admitti possent, eas suis distinctis numeris in oris paginarum notandas curavit, notis simul, si quae erant ad conjecturas confirmandas adscriptae, additis. His omnibus de suo etiam nonnulla, obiter inter legendum animadversa, adjecit. Denique ex Ursino discimus eodem paene tempore, quo in Germania (Cf. Paul. Leopard. Emend. VI, 24. Hadr. Jun. Animadv. VI, 1. Erasm. schol. in Hieronymi Ep. ad Magnum) octavus Arnobii liber suo auctore restitutus erat, eamdem fraudem Minucio Felici factam sensisse Guil. Sirletum Cardinalem, ejusque adeo persuasione factum esse, ut primum in Italia hac editione Octavius ederetur.

Arnobii Disputationum Adversus Gentes Libri VII. Quibus accessit ejusdem argumenti Dialogus M. Minucii Felicis Octavius. Geverhardus Elmenhorstius recensuit et notis illustravit. Hanoviae Typis Wechelianis MDCIII. 8. — Textus ad maximam partem est Gelenianus passim receptis et ed. Fulvii Ursini emendationibus. Dedicata est haec editio Jos. Scaligero. —

Arnobii Disputationum Adversus Gentes Libri VII. cum Godescalci Stewechii Electis. Antverpiae apud Joach. Trognaesium MDCIV. 8. — Textus plerumque consentit cum Ursiniano. Emendationes tum ipsius Stewechii, tum aliorum reperiuntur partim ad mg. textus adscriptae, partim in Electis proponuntur una cum lectionibus variantibus excerptis ex Cod. Bruxellensi, quas Stewechio suppeditaverat Franc. Modius. Editionem Arnobii aliquam ab Stewechio curatam et in lucem editam jam fuisse a. 1586. in 8. sponsore Fabricio (Delect. Argg. et Syllab. Scriptt. pro Verit. Rel. Chr. p. 226.) quidam tradiderunt; sed fabula est. Errori ansam dedisse videtur quod in ed. 1604. verbis, quae Electis

praemissa sunt, subscriptus est annus 1586., epistola autem dedicatoria textui praefixa annum prae se fert 1587. —

Arnobii Disputationum Adversus Gentes Libri VII. M. Minucii Felicis Octavius. Editio Nova ad Editionem Romanam expressa, quibusdam tamen in locis e MS. Regio aucta et emendata. Desiderii Heraldi ad Arnobii libr. VII. Animadversiones et Castigationes Parisiis apud M. Orry. MDCV. 8. — Textus ad maximam partem Ursinianus, locis tamen nonnullis ex ipso Cod. Reg. emendatis[36]).

Arnobii Disputationum Adversus Gentes Libri VII. Geverhardus Elmenhorst Collatis diversis Codicibus recensuit et Observationibus illustravit. Hamburgi. CIↃIↃCX. fol. — Elmenhorstianae secundae textus nititur inprimis Ursinianae marginalibus, temere saepe ac sine judicio receptis, atque iis, quae ab Stewechio in Electis ex Cod. Bruxellensi proposita erant.

Arnobii Disputationum Adversus Gentes Libri VII. cum Stewechii Electis et Paratitlis seu Summariis Leandri de St. Martino Duaci MDCXXXIV. 8. — Verum Leandri de St. Martino nomen fuisse Joannem Jones discimus ex Thom. Smithi Vita Roberti Cottoni in Collect. Vitt. Selectar. quorumdam erudit. virorum (Vratislaviae in 8. impressa) p. 533. Per errorem, uti videtur, typogr. hujus editionis altera editio anni 1636. memoratur in Catal. Bibl. Te Water. p. 405. —

Arnobii Afri Adversus Gentes Libri VII. Cum Recensione Viri Celeberrimi (Claudii Salmasii) *et integris omnium commentariis. Editio novissima atque omnium accuratissima. Lugduni Batavorum, ex Officina Jo. Maire. CIↃIↃCLI.* 4. — Textus innumeris locis ex Codice Regio et conjectura restitutus, sed vitiis typographicis non paucis conspurcatus. Addita sunt Canteri, Stewechii, Elmenhorstii et Heraldi commentarii integri. Procuravit editionem Ant. Thysius lCtus. Commentario quem addere parabat Salmasius, a. 1652. immortuus est[37]). Prima ejus folia sive disquisitionem de nominibus antiquorum Romanorum, quam uberibus in Arnobium notis praemissurum fuisse notavit Sarravius p. 42. Epist., nactus ex Biblioth. Gudiana edidit J. Alb. Fabricius ad calcem tom. II. Operum St. Hippolyti. Hamb. 1618. fol. Exemplum aliquod Arnobii Cl. Salmasii et Rob. Keuchenii

---

36) Desid. Heraldi Curae Secundae leguntur in ejus Animadvers. in Salmasii Jus Atticum l. VII. c. 24. (Paris. 1650. fol.) p. 600 sqq.

37) Jo. Gottl. Molleri Saecula IV. Rostoch. 1695. 4. p. 269. haec leguntur: ,,Promisit (sc. Salmasius) editionem novam et amplissimos commentarios in hunc scriptorem, et typographus jam multas paginas excuderat, sed postea nihil annotationum a Salmasio potuit impetrare.“

adnotationibus mss. repletum extabat olim in bibliotheca Bergeri Prof. Vitemberg., teste Polyc. Lysero in Diss. de Cautionibus circa Bibliothecas. (Vitemberg. 1714.) p. 10. et complura alia, quorum ad margines viri ejusdem doctissimi adnotationes adscriptae erant, habuit Te Waterus Prof. Ultraject.[38]). V. Catal. Biblioth. Te Water. p. 403 sqq.

Editiones Arnobii duae quae memorantur in Georgii Lex. Bibliogr., scilicet e recensione Benedictor. Congreg. Sti. Mauri Paris. 1626. II. Voll. fol. et cum notis Carthesii Lond. 1651., numquam prodierunt.

Sancti C. Cypriani Opera ad Vetustissimorum Exemplarium fidem sedulo emendata, diligentia N. Rigaltii J. C. cum ejusdem Adnotationibus integris, Pamelii et aliorum commentariis, seorsum autem editis. Accedunt M. Minucii Felicis Octavius de Idolorum Vanitate. Arnobii Afri Adversus Gentes Libri VII. Jul. Firmici Materni V. C. de Errore Profanarum Religionum. Commodiani Instructiones Adversus Gentium Deos cum ejusdem N. Rigaltii notis integris et variorum commentariis uno conspectu dispositis. Ph. Priorius argumenta et notas in libros omnes de novo adjecit. Parisiis, sumptibus Jo. Du Puis MDCLXVI. fol. — Textus ex Lugduno-Batava una cum omnibus, auctis itidem, vitiis est repetitus. Adnotationes textus subjectae sunt partim ex variorum commentariis jam editis excerptae, partim Priorii. — Recusa est haec editio in Bibl. PP. Max. Lugd. tom. III. a pag. 430—514. cum ipsis Priorianae adnotationibus. —

Arnobii Adversus Gentes Libri Septem, in *Sanctor. Bibliotheca Patrum Primitivae Ecclesiae, Sive Opera Authorum Vett. in Scripturam Sacram etc. Lugduni apud Joa. Ant. Heguetan et Soc. MDCLXXX. fol.* — Textus est Canterianus. —

Arnobii Afri Adv. Gentes Libri VII. in *Gallandi Bibl. Vet. PP. etc. (Venetiis ex typogr. Jo. Bapt. Albritii MDCCLXVIII. fol.) tom. IV. a pag.* 133—224. — Textus est ex ed. Lugduno-Batava, vitiis quoque ejus plerumque repetitis. Adjectae sunt adnotationes ed. Priorianae. Gallandus textum Arnobii primus in capita descripsit, cujus descriptionis ordinem qui cognoscere cupit, etiam ad marginem ed. Hildebrandianae numeris adnotatum inveniet. —

Arnobii Afri Adversus Gentes Libri VII. et Julii Firmici Materni V. C. de Errore Prof. Religionum etc.

---

38) In Biblioth. Petri Francii olim tria fuere exempla ed. LB. 1651., quorum binis Francius ipse, alteri alius quoque V. L. adscripserat, tertius abundabat mss. adnotationibus Salmasianis, teste Fabric. Bibl. Lat. Med. et Inf. Aet. —

in Opp. SS. Patrum Latinorum Vol. V. ed. Oberthuer. Wirceburgi in Off. Libr. Staheliana. MDCCLXXXIII. 8. — Textus est Canterianus, sed ad ed. Lugduno-Batavam emendatus, cui ipsi subjecta est passim lectionum varietas. Capitum distinctionem diversam ab Gallandii instituit Oberthuerius, quam cett. edd. recentiores retinuerunt.

Arnobii Afri Disputationum Adversus Gentes Libri VII. Recognovit, Notis Priorum Interpretum Selectis Aliorumque Et Suis Illustravit Jo. Conradus Orellius, Pastor Ad Aedem Spiritus Sancti Et Canonicus Collegii Carolini Turicensis. Lipsiae 1816. 8. *Sumptibus Frid. Christ. Guil. Vogelii. Partes II. cum Appendice cont. Adnotationum Supplementa seorsum edito a.* 1817. — Censuras hujus editionis, quae studiorum magis assiduitatem et interpretis curam laudabilem testatur, quam criticum quod dicunt ingenium, censuras dedere V. D. aliquis anonymus in Ephemerid. Litt. Jen. a. 1817. No. 11. et Hildebrandus in Ephemerid. Litt. Hal. 1842. Oct.

Arnobii Afri Adversus Gentes Libri VII. in *tomo V. Patrologiae Completo Cursu, sive Bibliotheca Universalis Integra Oecomenica SS. PP. Ab Aevo Apostolico Ad Usque Innocentii III. Tempora. Montrouge.* 1844. 8. — Haec editio nondum in meas manus pervenit.

Arnobii Adversus Nationes[39]*) Libri VII. Ex nova Codicis Parisini Collatione Recensuit Notas Omnium Editorum Selectas Adjecit, Perpetuis Commentariis Illustravit, Indicibus Instruxit Dr. G. F. Hildebrand, Scholae Tremoniensis Super. Ord. Praeceptor. — Adjectae sunt Rigaltii et Delechampii Notae et Emendationes Primum Editae. Accedunt Variae Minucii Felicis Apologetici Lectiones Et Bernhardyi In Arnobii Librum Primum Emendationes. Halis Saxonum Sumptibus Bibliop. Orphanotrophei. MDCCCXLIV.* 8. — Censuram hujus editionis nuperrime dedi in Ephemerid. Litt. Hal. 1846. Nov. —

Versiones Arnobii innotuerunt nullae praeter Belgicam:

Arnobius d'Afrikaner, vertaalt dor J. Oudaan. Harling. 1677. 8. et Germanicam:

Des Afrikaners Arnobius Sieben Bücher wider die Heiden. Aus dem Lateinischen übersetzt und erläutert

---

39) Hic verus est operis titulus restitutus ab Hildebrando ex subscriptione libri secundi in Cod. Paris. Editores reliqui omnes dederunt „adversus Gentes" Sabaeum secuti, qui ex Hieronymi locis duobus, quos supra attulimus, ita videtur correxisse.

von Franz Anton v. Besnard. Landshut 1842. *v. Vogel'sche Verlags-Buchhandlung.* 8. — Ea conversio tot vitiis verborumque stribiliginibus laborat, ut nisi textum latinum adhibueris vix verbum intelligas. Majoris pretii sunt Adnotationes vel potius Commentarii ad calcem libri (a p. 214—638) additi, in quibus multa sunt ex aliorum scriptis adlata, quae non vulgarem eruditionem produnt. —

Libri qui peculiariter spectant ad emendationem aut interpretationem Arnobii sunt hi:

Jo. Meursii Criticus Arnobianus tributus in libros septem. Item Hypocriticus Minutianus et Excerpta MS. Regii Parisiensis. In quîs Arnobius Adversus Gentes et Minucius IC. amplius locis, alii Scriptores varie castigantur. L. B. Ex Officina Jo. Balduini MDXCVIII. 8. — Mirifice callidum detegendis et persanandis sui scriptoris vulneribus se praebuit Meursius, multa acute vidit, ad quae superiores editores omnino caecutiebant, multa menda levissima medela sustulit, et multo majora procul dubio praestitisset, si ei praeter Basileensem et Canterianam etiam aliis editionibus uti licuisset. Ad calcem libri accesserunt appendicis loco excerpta Codicis Regii ex libro Jos. Scaligeri, quem olim Lutetiae cum Cod. MS. Regio contulerat. Ex Critico Meursii Arnobiano retractata quaedam curis secundis sunt in ejus Exercitationibus Criticis, quae prodiere LB. 1599. 8. duobus particulis.

Julii Caesaris Bulengeri Juliodunensis Eclogarum ad Arnobium liber primus. Tolosae MDCXII. 8. — Ineptum opus, scatens locis ex Patrum scriptis inaniter et praeter necessitatem coacervatis.

Nicol. le Nourry Adparatus ad Biblioth. Max. Patrum Lugduni editam. Parisiis MDCCXV. apud Jo. Bapt. Delespine. fol. Tom. II, p. 257—570. — Dissertatio in Arnobium, in qua post analyses singulorum locorum de auctore, operis aetate, consilio, argumento et tractatione, stylo et eruditione, de opere distribuendo, librorum integritate ac textus corruptione, de erroribus quibusdam Arnobii, de variis horum librorum Codd. MSS., editionibus et in eos notis et observationibus fuse pro more suo, sed praeclare disserit a pag. 257—296., denique inde a pag. 296—570. novas in Arnobium observationes profert, in quibus vel argumenta singula, quibus ille cum in asserenda veritate, tum in refutandis adversariorum erroribus utitur, examinantur, vel potiora antiquitatis monumenta illustrantur.

H. Ernstii J. C., Consiliarii Regii et Profess. Sorani Notae Brevissimae ad Arnobii Libros Disputationum adv. Gentes. Accedunt ejusdem notae Ad Orationem de Consummatione mundi ac de Antichristo et secundo adventu Domini Nostri Jesu Christi, quae beato Hippolyto Epi-

scopo ac Martyri vulgo tribuitur. Hauniae Typis Wielandianis MDCCXXVI. 16. — In Epist. dedicatoria ad Jo. Maire haec leguntur: ,,Qua in parte, Vir humanissime, nunc potissimum labores, docet me Epistola tua, novae et pulcerrimae Arnobii Editioni, quae prae ceterorum scriptorum novis Editionibus certe emicat caputque altius tollit, praefixa. Ea cum viros eruditos ad Arnobii scripta exornanda videam invitari, ecce tibi, ne ego sim ἀσύμβολος, quae olim ad eximiae eruditionis hunc scriptorem inter legendum more meo in chartas conjeci et ipse annotavi, quaeque ad oram Libri aliena manu, cujus certe nescio, cum V. Cod., uti prae se ferebat scriptura, collata reperi. Liber tamen ille castigatus videtur ad Codicem MS. Regium, quo usi sunt Jos. Scaliger, Desider. Heraldus et Cl. Salmasius, ego vero eum accepi a Viro doctissimo Jo. Duchat Genevensium medico." etc. etc. Subscriptum est: ,,Dabam in Regia et Equestri Acad. Sorana XIV. Cal. Jun. CIƆIƆCLI." — Ipsius quidem Ernstii paucissimae quae in eo libro proponuntur emendationes nihili faciendae sunt, sed lectionis varietatem illam ex ora libri Jo. Duchat ab eo transscriptam excerpendam putavi integrâm meaeque editionis textui inter ceteras variantes scripturas subjiciendam. Cf. etiam Ephem. Litt. Hal. 1846. Nov.

De Ratione et Argumento Apologetici Arnobiani auct. Pétr. Krog Meyer. Haun. 1815. 8. — Diss. inauguralis amplissima, cujus in prima parte auctor disserit de consilio Apologetici Arnobiani, in alia de aetate scriptoris et de fontibus ejus, in tertia veluti paraphrasin totius operis Arnobiani exhibet, in quarta de theologia Arnobii disputat, omnia perquam fuse et sermonis filo haud raro ad taedium usque protracto. Nova nisi forte quaedam ad theologiam spectantia in hoc libro non inveneris.

At praeter hos virorum doctorum libros a me enumeratos non pauca aliorum circa Arnobium studia, quae exspectationem habebant, fructum communem non tulerunt, sed intra conatus substiterunt. Sic Theodorus Canterus et Claudius Salmasius amplioribus suis commentariis elaborandis immortui sunt. Evanuit spes editionis Francisci Pithoei 40) Petri illius fratris, nec magis lucem viderunt quae Jos. Scaliger, P. Scriverius, Cardillus, Herib. Rosweydus et Jo. Js. Pontanus 41) in Arnobium commentati erant, quam Gessii, Wakeri,

---

40) V. Savaron. ad Sidon. Apollin. IV, 6. p. 246. Scriver. in Schediasm. X. praemisso Meursii Critico Arnob. et Eustath. Swartius Analect. III, 2, 4. p. 73. (ed. LB. 1616. 4.)

41) De Scriverio cf. Praef. D. Heinsii ad Not. in Clem Alexandr., Petro Scriverio a. 1616. dicatas; de Cardillo v. Eustath. Swartium l. l.; de Rosweydo v. Nonn. de Esu Piscium p. 36. (Antwerp. 1616. 8.) de Pontano v. Boxhorn. in Epist. ad Pontanum L. B. d. 28. Oct. 1633. scripta p. 37., ed. Lips. 1679.

Wassii, M. Crusii et Sam. Luth. Gereti [42]) conamina, praematura virorum morte intercepta. Atque utinam certe egregii illi thesauri publici essent juris facti, qui olim ab Te Watero, Professore Ultrajectino, in usum novae quam moliebatur editionis undique collecti erant, nunc autem in Britannica aliqua, uti videtur, bibliotheca latent, numquam fortasse diem visuri. Habuit enim ille praeter varias Codd. MSS. et editionum quotquot exstant collationes, exercitationes in Arnobium et adnotationes mss. (partim autographas) ineditas L. Torrentii, P. Scriverii, Almeloveenii, Abr. et Jac. Fr. Gronoviorum, Nic. Fabri, Ben. et Cl. Salmasiorum, Nic. Heinsii, Oudendorpii, Burmannorum, D. Huetii, Puteani, I. Ulitii, Withofii, C. Rosii, I. Haeringii aliorumque, quibus accedebat commercium epistolicum de rebus ad Arnobium spectantibus cum inter Abr. Gronovium et I. D. ab Hoven, ex anno 1761., tum inter ipsum Te Waterum et Santenium, Arnoldium, Leydenum ab Westbarendregt, Abbatem Sti. Legerii, Henr. Royenum, P. Hofstedium, Nic. Parquoyum, P. H. Marronium, Ev. Wassenberghium, Fr. God. de Lynden, L. Suringarum, Car. Hulthemium ab anno 1787. usque ad annum 1819. V. Biblioth. Te Wateranam tom. I, p. 402 sqq. —

---

42) De J. Wassio v. Fabric. Bibl. Lat. Med. et Inf. Aet. I, p. 138. ed. Mansi.; de Wakero et Gessio Mém. de Trevoux a. 1722. Nov. p. 2023. et a. 1724. p. 945.; de Crusio v. ipsius Dissert. Epistol. de Scriptis quibusdam integris sqq. Cf. Acta Erudit. a. 1729. p. 60. et Nov. della Lettere a. 1731. p. 408.; de Gereto v. ejus Comment. de Vita Aldi Manutii Vitemberg. 1792. ed. in 4. —

M. MINUCII FELICIS
OCTAVIUS.

---

1. Cogitanti mihi et cum animo meo Octavi boni et fidelissimi contubernalis memoriam recensenti tanta dulcedo et adfectio hominis inhaesit, ut ipse quodammodo mihi viderer in praeterita redire, non ea quae iam transacta et decursa sunt recordatione revocare. Ita eius contemplatio quantum subtracta est oculis, tantum pectori meo ac paene intimis sensibus inplicata est. Nec inmerito discedens [1]) vir eximius et sanctus inmensum sui desiderium nobis reliquit, utpote cum et ipse tanto nostri semper amore flagraverit, ut et in ludicris et seriis pari mecum [2]) voluntate concineret eadem velle vel nolle; crederes unam mentem in duobus fuisse divisam. Sic solus in amoribus conscius ipse [3]), socius in erroribus [4]); et cum discussa caligine de tenebrarum profundo in lucem sapientiae et veritatis [5]) emergerem, non respuit comitem, sed quod est gloriosius, praecucurrit [6]). Itaque cum per universam convictus nostri et familiaritatis aetatem mea cogitatio volveretur, in illo praecipue sermone eius mentis meae resedit

---

1) Sic Codd. Davis. cj. decedens. Sed discedere pro decedere vel mori in usu fuisse probant exempla a Ducangio adlata. Cf. etiam Claudian. in Rufin. II, 10., ubi pars Codd. Mss. discedere praebet pro decedere. 2) mecum pari Cod. Bruxell. — In seqq. edd. antiquiores eadem vellet vel nollet, aliae vellet et nollet habent, invitis Codd. 3) sc. mihi erat. 4) Sic Codd. Pars edd. distinguit conscius, ipse socius, sed parum recte. 5) h. e. doctrinae Christianae. 6) Sic Codd. et edd. omnes prae-

intentio, quo Caecilium superstitiosis vanitatibus etiamnunc [1]) inhaerentem disputatione gravissima ad veram religionem reformavit.

2. Nam negotii et visendi mei gratia Romam contenderat, relicta domo, coniuge, liberis, et quod est (in) liberis amabilius, adhuc annis innocentibus et adhuc dimidiata verba temptantibus, loquelam ipso offensantis linguae fragmine dulciorem [2]). Quo in adventu eius non possum exprimere sermonibus quanto quamque inpatienti gaudio exultaverim, cum augeret maxime laetitiam meam amicissimi hominis inopinata praesentia. Igitur post unum et alterum diem, cum iam et aviditatem desiderii frequens adsiduitatis usus inplesset, et quae per absentiam mutuam de nobis nesciebamus, relatione alterna conperissemus, placuit Hostiam [3]) petere amoenissimam civitatem, quod esset corpori meo siccandis humoribus de marinis lavacris blanda et adposita curatio; sane et ad vindemiam feriae iudiciariam curam relaxaverant. Nam id temporis, post aestivam diem, in temperiem semet autumnitas dirigebat. Itaque cum diluculo ad mare inambulando litore [4]) pergeremus, ut et aura adspirans leniter membra vegetaret et cum eximia voluptate molli [5]) vestigio cedens arena subsideret, Caecilius simulacro Serapidis denotato [6]), ut vulgus superstitiosus solet, manum ori admovens osculum labiis pressit [7]).

3. Tunc Octavius ait: Non boni viri est, Marce frater, hominem domi forisque lateri tuo inhaerentem sic in hac inperitiae vulgaris caecitate deserere, ut tam luculento die in lapides eum patiaris inpingere, effigiatos sane et unctos et coronatos [8]), cum sciat huius erroris non minorem ad te quam ad ipsum infamiam redundare. Cum hoc sermone eius medium spatium civitatis emensi [9]) iam libe-

---

ter quatuor primas, quae praecurrit exhibent. 1) h. e. ἔτι, ut recte sunt iam Herald. et Rigalt. interpretati. Male quidam editores dederunt etiam tum ex emend. marg. ed. Ursin.

2) loquela — dulciore aliquot edd. ex emend. mg. Urs. 3) Sic Cod. Paris. edd. pr. et Muralt. In cett. ut in Cod. Brux. Ostiam. 4) sc. Tiberis. 5) Sic Codd. et pleraeque edd. Cett. mollis. 6) h. e. animadverso. 7) Pars edd. impressit ex emend. mg. ed. Urs. — De re adeas Hildebr. ad Apul. I, p. 284.

8) Cf. Intt. ad Arnob. VII, 32. 9) h. e. spatium quod in-

rum litus tenebamus. Ibi harenas extimas, velut sterneret ambulacro, perfundens lenis unda tendebat [1]), et ut semper mare etiam positis flatibus inquietum est, etsi non canis spumosisque fluctibus exibat ad terram, tamen crispis torosisque ibidem [2]) erroribus delectati perquam sumus, cum in ipso aequoris limine plantas tingueremus, quod vicissim nunc adpulsum nostris pedibus adluderet, fluctus [3]) nunc relabens ac vestigia retrahens in sese resorberet. Sensim itaque tranquilleque progressi oram curvi molliter litoris iter fabulis fallentibus legebamus. Hae fabulae erant Octavi disserentis de navigatione narratio. Sed ubi eundi spatium satis iustum cum sermone consumpsimus, eandem emensi viam rursus versis vestigiis terebamus, et cum ad id loci ventum est, ubi subductae naviculae substratis roboribus a terrena labe suspensae quiescebant, pueros videmus certatim gestientes testarum in mare iaculationibus ludere. Is lusus est testam teretem iactatione fluctuum levigatam legere de litore, eam testam plano situ digitis conpraehensam inclinem ipsum atque humilem quantum potest super undas inrotare, ut illud iaculum vel dorsum maris raderet vel enataret [4]), dum leni inpetu labitur, vel summis fluctibus tonsis emicaret, emergeret, dum adsiduo saltu sublevatur. Is se in pueris victorem ferebat, cuius testa et procurreret longius et frequentius exsiliret.

4. Igitur cum omnes hac spectaculi voluptate caperemur, Caecilius nihil intendere neque de contentione ridere, sed tacens, anxius, segregatus, *dolere* [5]) nescio quid vultu fatebatur. Cui ego: Quid hoc est rei? cur non agnosco, Caecili, alacritatem tuam illam? et illam oculorum etiam in seriis hilaritatem requiro? Tum ille: Iamdudum me Octavii nostri acriter angit et remordet oratio,

---

teriectum est inter Ostiam civitatem et littus marinum. — In seqq. Cod. Br. inspirans praebet pro adspirans. 1) h. e. extendebat. Cf. Boeth. de Consol. II, Metr. 8, 12. et Arnob. IV, 17. — Quaedam edd. praebent tundebat ex emend. mg. ed. Urs. 2) Malim itidem vel undarum. 3) Male incidunt edd. post fluctus. 4) vel innataret cj. Wopken. nec enataret cj. Davis. — In seqq. cum mg. Urs. corrigendum fortasse est: emicaret et emergeret. In quibusdam edd. emergeret deletum est, et pro exsiliret ed. Bas. habet resiliret.

5) dolore Cod. edd. tres primae et ed. Muralt. In cett. do-

qua in te invectus obiurgavit neglegentiae, ut me dissimulanter gravius argueret inscientiae. Itaque progrediar ulterius; de toto et integro mihi cum Octavio res est. Si placet, ut ipsius sectae [1]) homo cum eo disputem, iam profecto intelleget facilius esse in contubernalibus disputare, quam conserere *sapientium* [2]) modo. In istis ad tutelam balnearum iactis et in altum procurrentibus petrarum obicibus residamus, ut et requiescere de itinere possimus et intentius disputare. Et cum dicto eius adsedimus, ita ut me ex tribus medium lateris ambitione protegerent; nec hoc obsequii fuit aut ordinis aut honoris, quippe cum amicitia pares semper aut accipiat aut faciat, sed ut arbiter et utrisque [3]) proximus aures darem et disceptantes duos medius segregarem.

5. Tum sic Caecilius exorsus est: Quamquam tibi, Marce frater, de quo cum maxime quaerimus non sit ambiguum, utpote cum [4]) diligenter in utroque vivendi genere versatus repudiaris alterum, *alterum* [5]) conprobaris: inpraesentiarum tamen ita tibi informandus est animus, ut libram teneas aequissimi iudicis, nec in alteram partem propensus incumbas, ne [6]) non tam ex nostris disputationibus nata sententia, quam ex tuis sensibus prolata videatur. Proinde si mihi quasi novus aliqui [7]) et quasi ignarus partis utriusque considas, nullum negotium est patefacere, omnia in rebus humanis dubia, incerta, suspensa, magisque omnia [8]) verisimilia quam vera. Quo magis mirum est nonnullos taedio investigandae penitus veritatis cuilibet opinioni temere succumbere [9]), quam in explorando pertinaci diligentia perseverare. Itaque indignandum omni-

---

lere, quod loci ratio efflagitat. 1) Sectam summa cum ironia appellat ethnicos, quorum superstitionem modo verbis aggressus erat Octavius. 2) Sic Cod. a manu sec. et sic correxit Rigalt. Pleraque pars edd. cum Cod. a m. pr. praebet sapientiam. 3) Sic Cod. et plurr. edd. Cett. utrique. —

4) utpote qui mg. Urs. et edd. aliquot. 5) Repudiaverat ethnicorum superstitionem, comprobaverat Christi religionem. — alterum semel tantum in Cod. legitur. 6) ne non extat in Cod. Br. 7) Sic Cod. et edd. Davis. et Muralt. In cett. aliquis. 8) omnia inducunt nonnullae edd. — In seqq. magna edd. pars praebet Quo minus mirum ex emend. mg. Urs. 9) Sic Cod. investig. potius veritatis mg. Urs. temere po-

bus, indolescendum [1]) est, audere quosdam, et hoc studiorum rudes, litterarum profanos, expertes artium etiam [2]) sordidarum, certum aliquid de summa rerum ac maiestate discernere, de qua tot omnibus [3]) saeculis sectarum plurimarum usque adhuc ipsa philosophia deliberat. Nec inmerito, cum tantum absit ab exploratione divina humana mediocritas, ut neque quae supra nos caelo suspensa sublata sunt, neque quae infra terram profunda demersa sunt, aut scire sit datum aut scrutare [4]) permissum aut *ruspari* religiosum, et [5]) beati satis satisque prudentes iure videamur, si secundum illud vetus sapientis oraculum nosmet ipsos familiarius noverimus. Sed quatenus indulgentes insano atque inepto labori ultra humilitatis nostrae terminos evagamur et in terram proiecti caelum ipsum et ipsa sidera audaci cupiditate transcendimus, vel hunc errorem saltem non vanis et formidolosis opinionibus inplicemus. Sint principio [6]) omnium semina natura in se coeunte densata: quis hic auctor deus? Sint fortuitis concursionibus totius mundi membra coalita, digesta, formata: quis deus machinator? Sidera licet ignis accenderit, et caelum licet sua materia suspenderit, licet terram fundaverit pondere [7]), et

---

tius succumbere aliae edd. 1) Pro omnibus aliquot edd. immo, pro indolescendum aliae complures indolescendumque habent. — In seqq. pro audere antiquiores quaedam edd. male audire exhibent. — In seqq. quaedam edd. et hos aliae et horum pro et hoc. 2) artium nisi sord. mg. ed. Urs. et inde edd. aliquot. — Herald. et Gronov. distinguunt expertes, artium etiam sqq. 3) totis omnibus cj. Wopken. In nonnullis edd. deletum est omnibus; sed recte tuentur Cod. lectionem Herald. et Davis. cit. Terent. Andr. I, 1, 28. „plerique omnes" et Eun. I, 2, 5. (cf. ibi Donati adnot.) Sedul. IV, 52. „omnis quicunque". Lucret. III, p. 388. ed. Lambin.: „tot — omnia". 4) Sic Cod. et ed. Muralt. In cett. scrutari vel scitari. In seqq. pro ruspari, quae Scaligeri est emendatio, pars edd. cum Codd. retinet stuprari, pars sciscitari (ex emend. mg. Urs.), aliae, quae in praegressis scitari, hic scrutari praebent. Hildebrand. ad Apulei. I, p. 68. cj. lustrare. Rigalt. dedit stuprare, quod frustra studet tueri et explicare („quasi stuprum inferant terrae, qui in viscera eius penetrare audent") ex locis Plin. H. N. II, 63. et XXXIII, Praef. 5) et, quod non reperitur in edd. antiquioribus, primum ex Cod. addidit Rigalt. 6) inplicamus. Sint principia vett. complures edd. 7) sc. sua materia, quae verba repetenda sunt ex antecedentibus. Recepi Cod. lectionem, pro qua pars edd. fundaverit pondus, pars fundaverint pondera

mare licet influxerit e liquore: unde haec religio? unde formido, quae superstitio est? Homo et animal omne quod nascitur, inspiratur, attollitur [1]), elementorum ut voluntaria concretio est, in quae rursum homo et animal omne dividitur, solvitur, dissipatur; ita in fontem refluunt et in semet omnia revolvuntur, nullo artifice nec iudice nec auctore. Sic congregatis ignium seminibus soles alios atque [2]) alios semper splendere, sic exhalatis terrae vaporibus nebulas semper adolescere, quibus densatis coactisque nubes altius surgere iisdem labentibus pluvias fluere, flare ventos, grandines increpare, vel nimbis conlidentibus tonitrua mugire, rutilare fulgura, fulmina praemicare: adeo passim cadunt, montes inruunt, arboribus incurrunt, sine dilectu [3]) tangunt loca sacra et profana, homines noxios feriunt et saepe religiosos. Quid tempestates loquar varias et incertas, quibus nullo ordine vel examine rerum omnium impetus volutatur? in naufragiis bonorum malorumque fata mixta, merita confusa? in incendiis interitum convenire insontium nocentiumque? et cum tabe pestifera caeli tractus inficitur, sine discrimine omnes deperire? et cum belli ardore saevitur, meliores potius occumbere? In pace etiam non tantum aequatur nequitia melioribus, sed et colitur [4]), ut in pluribus nescias, utrum sit eorum detestanda pravitas, an optanda felicitas. Quod si mundus divina providentia et alicuius numinis auctoritate regeretur, numquam mereretur Phalaris et Dionysius regnum, numquam Rutilius et Camillus exilium, numquam Socrates venenum. Ecce arbusta frugifera, ecce iam seges cana, iam temulenta vindemia imbri corrumpitur, grandine caeditur: adeo aut incerta nobis veritas occultatur et premitur, aut quod magis credendum est, variis et lubricis casibus soluta legibus fortuna dominatur. Cum igitur aut fortuna certa aut incerta natura sit quanto venerabilius ac melius antisti-

---

praebent. — In seqq. aliae: influxerit liquor, invitis Codd. confluxerit cj. Davis. influxerit sc. in fines vel lacus suos.
1) Sic Codd. Pars edd. et alitur habet vel et tollitur. Hildebr. ad Apulei. I, p. 158. cj. adolet ut. In seqq. pro elementorum ut in quibusdam libris correctum extat elem. id. Perperam.
2) atque bis legitur in Cod. 3) Sic Cod. et ed. Muralt. In cett. delectu. — In seqq. edd. complures habent saepe et pro et saepe. 4) sed attollitur mg. Urs. sed ita colitur cj.

tes [1]) veritatis maiorum excipere disciplinam, religiones traditas colere, deos, quos a parentibus ante inbutus es timere quam nosse [2]) familiarius, adorare, nec de numinibus ferre sententiam, sed prioribus credere, qui adhuc rudi saeculo in ipsius [3]) mundi natalibus meruerunt deos vel faciles [4]) habere vel reges?

6. Inde adeo per universa imperia, provincias, oppida videmus singulos sacrorum ritus gentiles habere et deos colere municipes, ut Eleusinios Cererem, Phrygas Matrem [5]), Epidaurios Aesculapium, Chaldaeos Belum, Astarten Syros, Dianam Taurios, Gallos Mercurium, universa [6]) Romanos. Sic eorum potestas et auctoritas totius orbis ambitus occupavit, sic imperium suum ultra solis vias et ipsius Oceani limites propagavit, dum exercent in armis virtutem religiosam, dum urbem muniunt sacrorum religionibus, castis virginibus, multis honoribus ac nominibus sacerdotum, dum obsessi et citra solum Capitolium capti colunt deos, quos alius iam sprevisset iratos [7]), et per Gallorum acies mirantium superstitionis audaciam pergunt telis inermes sed cultu religionis armati, dum *captis* in hostilibus [8]) moenibus adhuc ferociente victoria numina victa venerantur, dum undique hospites deos quaerunt et suos faciunt, dum aras extruunt etiam ignotis [9]) numinibus et manibus. Sic dum universarum gentium sacra suscipiunt, etiam regna *meruerunt*. Hinc [10]) perpetuus venerationis

---

Wopken. 1) Magna pars edd. antistitem exhibet invitis Codd. 2) Vett. aliquot edd.: imbutus existimare, quam cognosse. 3) Pro qui adhuc ex ed. pr. quidam dederunt quia adhuc, et pro ipsius mundi complures edd. praebent ipsis mundi ex emend. Gelenii. 4) h. e. beneficos et benemeritos.

5) Sic Codd. Male quidam Gelenium secuti ediderunt Magnam Matrem. In seqq. pro Taurios pars edd. habet Tauros invitis Codd. 6) sc. sacra. 7) Sic Codd. et pleraeque edd. — iratus, quod reperitur correctum in aliis, probant Iac. Gronov., Memmius, Davisius. 8) capti in hostilibus ex Cod. Paris. reponendum censuerunt Meurs. et Gronov., hostilibus interpretati per: ab hoste insessis. Sed sententia omnino efflagitat captis. 9) Pro dum etiam ignotis, quod Codd. vitiose praebent, Gronov. dudum etiam, Davis. demum etiam scribi voluerunt. In seqq. pro meruerunt in Codd. extat merunt vitiose. 10) Hic habent aliquot libri typis exarati. — In seqq. pro adstruxerit edd. pr. et Urs. abstruxerat, ed. Bas. adstruxerat.

tenor mansit, qui longa aetate non infringitur, sed augetur; quippe antiquitas cerimoniis atque fanis tantum sanctitatis tribuere consuevit, quantum adstruxerit vetustatis.

7. Nec tamen temere — ausim enim interim et ipse concedere et sic melius errare — maiores nostri aut observandis auguriis aut extis consulendis aut instituendis sacris aut delubris dedicandis operam navaverunt. Specta de libris memoriam [1]: iam eos depraehendes initiasse ritus omnium religionum, vel ut remuneraretur divina indulgentia, vel ut averteretur imminens ira, aut ut iam tumens et saeviens placaretur. Testis Mater *Idaea* [2], quae adventu suo et probavit matronae castitatem et urbem metu hostili liberavit. Testes equestrium fratrum in lacu se sicut ostenderant [3] statuae consecratae, qui anhelis, spumantibus equis atque fumantibus de Perse victoriam eadem die qua fecerant [4] nunciaverunt. Testis ludorum offensi Iovis [5] de *somnio* plebeii hominis iteratio, et Deciorum devotio rata testis est. Testis et [6] Curtius, qui equitis sui vel mole vel honore [7] hiatum profundae voraginis coaequavit. Frequentius etiam quam volebamus deorum praesentiam contempta auspicia contestata sunt. Sic Allia nomen in-

---

1) Sic Codd. et optt. edd. In aliis extat memorias. Verba interpretor: Cognosce ex libris et specta rerum gestarum memoriam. Gronov. cj. memoriae. 2) mater dea Codd. et ed. pr. mater Idaea habent complures edd. ex emend. mg. ed. Urs. In aliis extat mater deum ex correctione Gelenii. — Fabulam prolixe narrat Iulian. Orat. V, p. 159 sqq. Cf. Liv. XXIX, 14. Arnob. VII, 49. et ibi Intt. 3) lacu sicut ostenderant Codd. quod correxi. ostensi erant cj. Iensius, ostenderant se cj. Casp. Barth. Edd. pars ex emend. mg. Urs. praebet sicut se ostenderant. — In seqq. dedimus anhelis cum Codd. et plurr. edd. In ceteris habetur anheli. 4) Aliquot edd.: qua vicerant. — De re v. Valer. Max. I, 8, 1 et 2. Flor. I, 11. et II, 12. Cf. Cic. Tusc. I, 12. 5) offensio Iovis Cod. Par. et ed. pr., offenso Iove habet Cod. Br. et edd. aliquot. In seqq. cum aliis restituo somnio, cum Cod. lectio somno ferri posse non videatur. — De re v. Liv. II, 36. et inprimis Arnob. VII, sqq 39. 6) Sic Cod. Non paucae edd. mendose exhibent rata. Testis et. — In seqq. cave ne praeter Codd. auctoritatem voc. equitis mutaveris. V. Non. p. 106. et 295. Oros. Hist. II, 7. 7) Sic Cod. et optt. edd. In aliis correctum extat onere. Perperam. Honorem appellat fruges et dona honoris gratia a civibus super Curtium certatim iniecta. Valer. Max. V, 6. Liv. VII, 6. Cf. Dion. Halic. II, 42. Liv. I, 13.

faustum [1]), sic Claudi et Iuni non praelium in Poenos sed ferale naufragium est [2]), et ut Trasimenus Romanorum sanguine et maior esset et decolor, sprevit auguria Flaminius [3]), et ut Parthos signa repetamus, dirarum inprecationes Crassus et meruit et inrisit. Omitto vetera, quae multa sunt; et de deorum natalibus, donis, muneribus, neglego carmina poetarum, praedicta etiam de oraculis fata transilio, ne vobis antiquitas nimium fabulosa videatur. Intende templis ac delubris deorum, quibus Romana civitas et protegitur et ornatur: magis sunt augusta numinibus incolis, praesentibus, inquilinis, quam cultus insignibus [4]) et muneribus opulenta: inde adeo pleni et mixti deo vates futura praecerpunt, dant cautelam periculis, morbis medelam, spem adflictis, opem miseris, solacium calamitatibus, laboribus levamentum: etiam per quietem deos videmus, audimus, agnoscimus, quos impie per diem negamus, nolumus, peieramus [5]).

8. Itaque cum omnium gentium de diis inmortalibus quamvis incerta sit vel ratio vel origo, maneat tamen firma consensio, neminem fero tanta audacia tamque inreligiosa nescio qua prudentia tumescentem, qui hanc religionem tam vetustam, *tam* [6]) utilem, tam salubrem dissolvere aut infirmare nitatur. Sit licet ille Theodorus Cyrenaeus, vel qui prior Diagoras *Melius* [7]), cui Atheon cognomen adposuit antiquitas, qui uterque nullos deos adseverando timo-

---

1) Liv. V, 37. VI, 1. Macrob. Sat. I, 16. 2) V. Cic. N. D. II, 3. et ibi Intt. Eutrop. Brev. II, 26. Valer. Max. I, 4, 3. 3) Cic. l. l. et de Divin. I, 35. II., 33. Valer. Max. I, 6, 6. Liv. Epit. l. XXII. — In seqq. pro Parthos, quae Codd. lectio est, malim dativum quem dicunt incommodi Partho restituere. Accusativum illum defendere nuperrime conatus est Hildebr. ad Apul. I, p. 296. — Cf. Ovid. Fast. V, 580 sqq. Sueton. Aug. 21. Quod Minucius repetamus praesenti utitur de re pluribus saeculis ante gesta non est urgendum. 4) Sic Cod. olim habebat, nunc vero cultu insignibus. Ed. pr. cum aliis non paucis cultu insignia exhibet. 5) Sic Codd. nolumus, eieramus cj. I. Fr. Gronov. prob. Davis. violamus, peieramus edd. aliquot ex emend. Gelenii. —

6) tam abest a Cod. et aliquot edd. 7) Milesius Cod. Qui error fortasse ipsi Minucio, non librario imputandus est, si quidem etiam Chrysostom. (Hom. IV. in I. Ep. ad Corinth. c. 1.) Eusebius atque Theodoretus eundem errarunt, ut docet Bentl. ad Callim. fr. 86. Cf. Aelian. V. H. II, 23., Suid. s. v., et Cic. N. D. I,

rem omnem, quo humanitas [1]) regitur, venerationemque penitus sustulerunt: nunquam tamen in hac inpietatis disciplina simulatae philosophiae nomine atque auctoritate pollebunt. Cum Abderiten Protagoram Athenienses viri consulte [2]) potius quam profane de divinitate disputantem et expulerint suis finibus et in contione eius scripta deusserint: quid homines (sustinebitis enim me impetum susceptae actionis liberius exerentem), homines, inquam, deploratae, inlicitae [3]) ac desperatae factionis grassari in deos non ingemiscendum est? qui de ultima faece collectis inperitioribus et mulieribus credulis sexus sui facilitate labentibus plebem profanae coniurationis instituunt, quae nocturnis congregationibus et ieiuniis solemnibus et inhumanis cibis, non sacro quodam sed piaculo foederantur, latebrosa et lucifugax natio, in publicum [4]) muta, in angulis garrula; templa ut busta despiciunt, deos despuunt, rident sacra, miserentur [5]) miseri, si fas est, sacerdotum, honores et purpuras despiciunt ipsi seminudi. Pro, mira stultitia et incredibilis [6]) audacia! spernunt tormenta praesentia, dum incerta metuunt et futura, et dum mori post mortem timent, interim mori non timent; ita illis *pavorum* fallax spes *solatio redivivo* blanditur [7]).

9. Ac iam ut fecundius nequiora proveniunt, serpentibus in dies perditis moribus per universum orbem sacraria ista teterrima impiae coitionis adolescunt. Eruenda prorsus haec et execranda consensio. Occultis se notis et insignibus noscunt [8]) et amant mutuo paene antequam noverint; passim etiam inter eos velut quaedam libidinum religio

---

23. III, 37. 1) h. e. genus humanum. 2) Sic Codd. Male quidam correxerunt inconsulte. De Protagora adi sis Diog. Laert. IX, 50 sqq. Cic. N. D. l. l. — In seqq. verba de divinitate omissa sunt in edd. quatuor primis. 3) Sic Codd. et optt. edd. 4) Sic Codd. Vett. edd. in publico. 5) Sic Codd. Edd. aliquot: miserantur. 6) Sic Cod. olim, sed hodie: incredibili, ut praebet etiam Cod. Br. et edd. non paucae. 7) pavorem — solatia rediviva Cod. Par. pavore — solatia rediviva Cod. Br. Edd. pleraeque pavor et fall. sp. solatio redivivo habent. pavorum dedi ex emend. Vonckii; cf. Tacit. Ann. XVI, 32. Pavorum fallacem spem dicit pavores fallentem; solatium redivivum appellat spem reviviscendi.

8) Davis. hanc famam explicandam putat ex iis, quae de Carpocratianis narrat Irenaeus I, 24. ubi v. Feuard. Cf. Thom. Ittig. de

miscetur, ac se promisce adpellant fratres et sorores [1]), ut etiam non insolens stuprum intercessione sacri nominis fiat incestum; ita eorum vana et demens superstitio sceleribus gloriatur. Nec de ipsis, nisi subsisteret veritas, maxima et varia [2]) et honore praefanda sagax fama loqueretur. Audio eos turpissimae pecudis caput asini [3]) consecratum inepta nescio qua persuasione venerari: digna et nata religio talibus moribus. Alii eos ferunt ipsius antistitis ac sacerdotis colere genitalia et quasi parentis sui adorare naturam [4]); nescio an falsa, certe occultis ac nocturnis sacris adposita suspicio: et qui hominem [5]) summo supplicio pro facinore punitum et crucis ligna feralia eorum caerimonias fabulatur [6]), congruentia perditis sceleratisque tribuit altaria, ut id colant quod merentur. Iam de initiandis tirunculis fabula [7]) tam detestanda quam nota est: infans farre contectus, ut decipiat incautos, adponitur ei qui sacris inbuatur [8]); is infans a tirunculo farris superficie quasi ad innoxios ictus provocato caecis occultisque vulneribus occiditur; huius, pro nefas, sitienter sanguinem lambunt, huius certatim membra dispertiunt, hac foederantur hostia, hac conscientia sceleris ad silentium mutuum pignerantur [9]): haec sacra sacrilegiis omnibus tetriora. Et de convivio notum est, passim omnes loquuntur; id etiam Cirtensis nostri [10]) testatur oratio. Ad epulas solemni die coeunt cum omnibus liberis, sororibus, matribus, sexus omnis homines et omnis aetatis. Illic post multas epulas, ubi convivium caluit, et incestae libidinis

---

Haeresiarch. II, 3, 5. 1) Tertull. Apol. 39. Athenag. Leg. pro Christ. 39. Cf. Lipsii V. L. II, 1. et Tanaqu. Fabri Epp. II, 40. 2) Pro et varia pars edd. nefaria praebet. 3) Voc. asini pro gloss. habuerunt Davis., Gisb. Cuper., et alii. De re v. Tertull. Apol. 16. Epiphan. de Haeres. XXVI, 10. Voss. Theol. Gent. III, 75. 4) Natam putant famam ex eo, quod in exomologesi sese prosternebant vett. Christiani. V. Tertull de Poenit. c. 9. 5) Pars edd. et hominem, invitis Codd. 6) fabulantur Cod., unde quidam et in seqq. tribuunt scripserunt. 7) Aliquot edd. fama habent pro fabula. 8) Alii imbuitur ex emend. mg. ed. Urs. 9) Videtur haec calumnia ortum habuisse ex sacramento eucharistiae. Cf. Irenaei frr. p. 469. ed. Oxon. Ceterum de Montanistis inprimis hanc famam obtinuisse docent verba Zonar. in Can. 12. Concil. Constant., August. de Haeres. 29. Cf. Euseb. H. E. IV, 7. Iust. Mart. Apol. I, 35. 10) Corn. Frontonis; cf.

ebrietatibus [1]) fervor exarsit, canis, qui candelabro nexus est, iactu offulae ultra spatium lineae, qua vinctus est, ad impetum et saltum provocatur: sic everso et exstincto conscio lumine inpudentibus tenebris nexus infandae cupiditatis involvunt per incertum sortis [2]), etsi non omnes opera, conscientia tamen pariter incesti, quoniam voto universorum adpetitur quidquid accidere potest in actu singulorum.

10. Multa praetereo consulto; nam et haec nimis multa sunt, quae aut omnia aut pleraque omnium vera declarat ipsius pravae religionis obscuritas. Cur etenim occultare et abscondere quicquid illud colunt magnopere nituntur, cum honesta semper publico gaudeant, scelera secreta sint? cur nullas aras habent, templa nulla, nulla nota [3]) simulacra, numquam palam loqui, numquam libere congregari, nisi illud quod colunt et interprimunt aut puniendum est aut pudendum? Unde autem vel quis ille aut ubi deus unicus, solitarius, destitutus, quem non gens libera, non regna, non saltem Romana superstitio noverunt? Iudaeorum sola et misera gentilitas unum et ipsi deum, sed palam, sed templis, aris, victimis caerimonisque [4]) coluerunt, cuius adeo nulla vis nec potestas est, ut sit Romanis *numinibus* [5]) cum sua sibi natione captivus. At etiam Christiani quanta *monstra* [6]), quae portenta confingunt? Deum illum suum, quem nec ostendere possunt nec videre, in omnium mores, actus omnium, verba denique et occultas cogitationes diligenter inquirere, discurren-

---

infra cap. 31. et Opp. Frontonis ed. Ang. Maii p. 336. 1) Sic scripsi ex emend. Davisii. Cod. Par. ebrietatis, Cod. Br. ebrietate Edd. maxima pars aut ebrietate fervor, aut fervor ebrietate, aut libidini ebrietatis habet. ebriatis Meurs., ebriolatis Hildebrand. (ad Apul. I, p. 101.) et Gronov. in caecas libidines ebrietatis fervor coniecerunt. — Pro canis in sqq. Cod. vitiose carnis exhibet. 2) Fabula quam hic narrat Minucius ab haereticis quibusdam orta videtur. V. Euseb. H. E. IV, 7. Clem. Alex. IV, p. 314. ed. Lugd. Cf. Iustin. Mart. Apol. I, 35. Epiphan. Haer. VI, 3. 4.

3) vota cj. Heins. Advv. p. 185. 4) Sic Cod. 5) nominibus Cod., cuius librarius innumeris etiam Arnobii locis nomen scripsit pro numen; et hinc respuenda Sabaei correctio hominibus, quae et in alias nonnullas edd. transiit, vel nuperrime probata Hildebrando ad Apulei. I, p. 1001. 6) Cod. P. teste Hildebr. quanta nra, teste Muralt. quanta (a m. sec. quaenam cor-

tem scilicet atque ubique praesentem; molestum illum volunt, inquietum, inpudenter etiam curiosum, siquidem adstat factis omnibus, locis omnibus intererrat, cum nec singulis inservire possit per universa districtus [1]), nec universis sufficere in singulis occupatus.

11. Quid? quod toto [2]) orbi et ipsi mundo cum sideribus suis minantur incendium, ruinam moliuntur, quasi aut naturae divinis legibus constitutus aeternus ordo turbetur, aut rupto elementorum omnium foedere et caelesti conpage [3]) divisa moles ista, qua continetur et cingitur, subruatur. Nec hac furiosa opinione contenti aniles fabulas adstruunt et adnectunt, renasci se ferunt post mortem et cineres et favillas et nescio qua fiducia mendaciis suis invicem credunt; putes eos iam revixisse. Anceps malum et gemina dementia, caelo et astris, quae sic relinquimus ut invenimus, interitum denuntiare, sibi mortuis, extinctis [4]), qui sicut nascimur et interimus, aeternitatem repromittere! Inde videlicet et execrantur rogos et damnant ignium sepulturas, quasi non omne corpus, etsi flammis subtrahatur, annis tamen et aetatibus [5]) in terram resolvatur, nec intersit, utrum ferae diripiant, an maria consumant, an humus contegat, an flamma subducat, cum cadaveribus omnis sepultura, si sentiunt, poena sit, si non sentiunt, ipsa conficiendi celeritate medicina. Hoc errore decepti beatam sibi ut bonis et perpetem [6]) vitam *mortuis* pollicentur, ceteris ut iniustis poenam sempiternam. Multa ad haec subpetunt, ni festinet oratio. Iniustos ipsos magis, nec laboro [7]), iam docui; quamquam, etsi iustos darem, culpam tamen vel innocentiam fato tribui sententiis plurimorum

---

rect.) nostra habet, ut et in Cod. Br. extat. Pars edd. quanta monstra, pars quaenam monstra habet. 1) destrictus Cod. et ed. Muralt. In cett. districtus. —

2) Sic Codd. et optt. edd. In cett. toti. 3) compagetur Cod. tribus ultimis litteris compunct. Ipse olim cj. conpactura. — In seqq. nonnullae edd. invito Cod. praebent continemur et cingimur ex Meursii emend. prob. Gronov. 4) et extinctis edd. aliquot ex emend. mg. Urs. et sic praebet etiam Cod. Br. 5) aetatis vi cj. Heins. Advv. II, 19. — In seqq. Davis. et Vonck. scribi voluerunt et intersit; sed nec particulae vis negativa praegressa altera negatione tollitur. 6) Sic Codd. Edd. aliquot perpetuam habent. In seqq. Codd. mortui pro mortuis. 7) sc. docere. labore mg. ed. Urs.

et haec [1]) vestra consensio est. Nam quicquid agimus, ut alii fato, ita vos deo dicitis [2]); sic sectae vestrae non spontaneos cupere [3]) sed electos. Igitur iniquum iudicem fingitis, qui sortem in hominibus puniat, non voluntatem. Vellem tamen sciscitari, utrumne cum [4]) corporibus et corporibus quibus, ipsisne [5]) an innovatis resurgatur? Sine corpore? Hoc, quod sciam, neque mens neque anima nec vita est. Ipso corpore? Sed iam ante dilapsum est. Alio corpore? Ergo homo novus nascitur, non prior ille reparatur; et tamen tanta aetas abiit, saecula innumera fluxerunt, quis unus ullus ab inferis vel Protesilai sorte [6]) remeavit, horarum saltem permisso commeatu, vel ut exemplo crederemus? Omnia ista figmenta malesanae opinionis et inepta solatia a poetis fallacibus in dulcedine carminis lusa a vobis nimirum [7]) credulis in deum vestrum turpiter reformata sunt.

12. Nec saltem de praesentibus capitis experimentum, quam vos inritae pollicitationis cassa vota decipiant: quid post mortem impendeat, miseri, dum adhuc vivitis aestimate [8])! Ecce pars vestrum, et maior, melior [9]), ut dicitis, egetis, algetis, opere, fame laboratis, et Deus patitur, dissimulat, non vult aut non potest opitulare suis; ita aut invalidus aut iniquus est. Tu qui inmortalitatem postumam somnias, cum periculo [10]) quateris, cum febribus ureris, cum dolore laceraris, nondum condicionem tuam sentis? nondum [11]) adgnoscis fragilitatem? invitus miser infirmitatis argueris nec fateris! Sed omitto communia. Ecce vobis minae, supplicia, tormenta, et iam [12]) non adorandae sed subeundae cruces, ignes etiam quos et praedicitis et timetis: ubi deus ille qui subvenire revivescen-

---

1) Sic Cod. et optt. edd. In aliis etiam vestra. 2) Pars edd. addicitis. 3) sc. homines. 4) Sic Codd. Magna pars edd. praebet utrumne sine corpore, an cum. 5) h. e. iisdem. 6) V. Hygin. fab. 103. — Cf. Lactant. Inst. VII, 22 sq. Tertull. de Resurr. Carn. 1. Id. Apolog. 23. et adv. Nat. I, 19. 7) Sic Codd. Pars edd. nimium. —

8) Sic Codd. et optt. edd. Aliae habent decipiant, dum quid — — — aestimatis. 9) Sic Cod. et optt. edd. In aliis maior et melior. — In seqq. pro opere aliquot edd. praebent male correctum ope, re. 10) Edd. non paucae cum querquero invitis Codd. 11) Sic Codd. et optt. edd. In aliis non tum condicionem — — non tum. 12) Pars edd. etiam. —

tibus [1]) potest, viventibus non potest? Nonne Romani sine vestro deo imperant, regnant, fruuntur orbe toto vestrique dominantur? Vos vero suspensi interim atque solliciti honestis voluptatibus abstinetis, non spectacula visitis, non pompis interestis, convivia publica absque vobis, sacra certamina, praecerptos cibos et delibatos altaribus potus abhorretis. Sic reformidatis deos quos negatis. Non floribus caput nectitis, non corpus odoribus honestatis: reservatis unguenta funeribus [2]), coronas etiam sepulcris denegatis [3]), pallidi, trepidi, misericordia digni, sed nostrorum deorum [4]); ita nec resurgitis miseri, nec interim vivitis. Proinde si quid sapientiae vobis aut verecundiae est, desinite caeli plagas et mundi fata et secreta rimari; satis est pro pedibus aspicere, maxime indoctis, inpolitis, rudibus, agrestibus, quibus non est datum intellegere civilia, multo magis denegatum est disserere divina.

13. Quamquam si philosophandi libido est, Socraten sapientiae principem, quisque [5]) vestrum tantus est, si potuerit, imitetur. Eius viri, quotiens de caelestibus rogabatur, nota responsio est: *Quod supra nos, nihil ad nos.* Merito ergo de oraculo testimonium meruit prudentiae singularis; quod oraculum, idem ipse praesensit [6]), idcirco universis esse praepositum, non quod omnia compeperisset, sed quod nihil se scire didicisset; ita confessae inperitiae [7]) summa prudentia est. Hoc fonte defluxit Arce-

---

1) Sic Cod. testt. Crus. et Hildebr. Edd. reviviscentibus. 2) Kirchmann. de Funerib. I, 7 et 8. 3) Kirchmann de Funerib. IV, 3. Pascal. de Coronis IV, 5 et 6. Hieron. Magii Miscell. II, 7. Petr. Victor. V. L. XVI, 2. 4) Nam vester quem fingitis deus opitulari vobis non potest.

5) Pro quisque non paucae edd. quisquis, et aliae in seqq. pro potuerit praebent poterit. 6) Mirum quantum exercitavit hic locus editorum et interpretum ingenia. Pars scripsit quod idem ipse vocabulo oraculum deleto, pars quo oraculo idem ipse, alii idem deleverunt. Sed nihil mutandum erat. Dicit Minucius Socratem idem ipsum quod oraculum praesensisse, scil. se esse idcirco etc. Praesentire h. l. est bene animadvertere, cuius verbi usus exempla adtulerunt Davis. ad h. l. et Thom. Wopkens in Miscell. Observv. X, p. 26. De re narrata v. Diog. Laert. II, 37. ibique Menag. Cic. Acad. I, 4. et Intt. Iustin. Martyr. Cohort. ad Graec. c. 37. — In seqq. cave, ne cum edd. quibusdam sese pro esse scribendum putes. 7) Alii confessa imperitia vel confessio imperitiae invitis Codd.

silae et multo post Carneadis et Academicorum plurimorum [1]) in summis quaestionibus tuta dubitatio, quo genere philosophari et caute indocti possunt et docti gloriose. Quid, Simonidis melici [2]) nonne admiranda omnibus et sectanda cunctatio? qui Simonides cum de eo quid et quales arbitraretur deos ab Hierone tyranno quaereretur, primo deliberationi diem petiit, postridie biduum prorogavit, mox alterum tantum admonitus adiunxit postremo cum causas tantae morae tyrannus inquireret, respondit ille, quod sibi quanto inquisitio tardior pergeret, tanto veritas fieret obscurior [3]). Mea quoque opinione quae sunt dubia, ut sunt, relinquenda sunt, nec tot ac tantis viris deliberantibus temere et audaciter in alteram partem ferenda sententia est, ne aut anilis inducatur superstitio aut omnis religio destruatur.

14. Sic Caecilius; et *renidens* [4]) (nam indignationis eius tumorem effusae orationis impetus relaxaverat): Et quid [5]) ad haec, ait, audet Octavius homo Plautinae prosapiae [6]), ut pistorum praecipuus, ita postremus philosophorum? Parce, inquam, in eum plaudere: neque enim prius exultare te dignum est concinnitate sermonis, quam utrimque plenius fuerit peroratum, maxime cum non laudi, sed veritati [7]) disceptatio vestra nitatur. Et quamquam magnum in modum me subtili varietate tua delectarit oratio, tamen altius moveor, non de praesenti actione, sed de toto genere disputandi, quod plerumque pro disserentium viribus et eloquentiae potestate etiam perspicuae veritatis condicio mutetur. Id accidere pernotum est auditorum facilitate, qui dum verborum lenocinio a rerum intentionibus avocantur, sine dilectu [8]) adsentiuntur dictis

---

1) Dav. cj. Pyrrhoniorum pro plurimorum, sed v. Wopkens l. l. p. 27. 2) melchi Codd. vitiose. 3) V. Cic. N. D. I, 22.

4) renitens Codd. 5) et qui Cod. Ecquid edd. nonnullae ex emend. mg. Urs. 6) Plautum ad molas manuarias pistori se locasse notum est. Hinc Plautinae Octavium dicit prosapiae Caecilius ob religionis Christianae simplicitatem, cuius sequaces magna pars erant idiotae et opifices, ut pistores, sutores et id genus alii. Ait igitur Octavium esse quidem inter pistores Christianos praecipuum, at inter philosophos postremum. 7) h. e. non pro laude, sed pro veritate. Sic Cod. et optt. edd. Aliae edd. laude sed veritate. 8) Sic Cod. et ed. Muralt. In cett.

omnibus, nec a rectis falsa secernunt, nescientes inesse et *in* [1]) incredibili verum et in verisimili mendacium. Itaque quo saepius adseverationibus credunt, eo frequentius a peritioribus arguuntur; sic adsidue [2]) temeritate decepti culpam iudicis transferunt ad incerti querelam, ut damnatis omnibus malint universa suspendere, quam de fallacibus iudicare. Igitur nobis providendum est, ne odio identidem sermonum omnium laboremus ita, ut in execrationem et odium hominum plerique simpliciores efferantur. Nam incaute creduli circumveniuntur ab his, quos bonos putaverunt, mox errore consimili, iam suspectis omnibus ut improbos metuunt etiam quos optimos sentire potuerunt. Nos proinde solliciti, quod utrimque omni [3]) negotio disseratur, et ex altera parte plerumque obscura sit veritas, ex altero a latere [4]) mira subtilitas, quae nonnumquam ubertate dicendi fidem confessae probationis imitetur, diligenter quantum potest singula ponderemus, ut argutias quidem laudare, ea vero quae recta sunt eligere, probare, suscipere possimus.

15. Decedis, inquit Caecilius, officio iudicis religiosi: nam periniurium est, vires te actionis meae intergressu gravissimae disputationis infringere, cum Octavius integra et inlibata habeat singula, si potest *refutare*. Id [5]) quod criminaris, inquam, in commune nisi fallor conpendium protuli, ut examine scrupuloso nostram sententiam non eloquentiae tumore, sed rerum ipsarum soliditate libremus, nec avocanda, quod quereris, diutius intentio, cum toto

---

edd. delectu. 1) in praepositionem edd. aliquot omittunt cum Cod. — In seqq. pro verisimili Codd. praebent verisimile, quod defendi potest. V. Creuzer ad Cic. N. D. I, 21, p. 94. Hildebr. ad Apul. I, p. 996. 2) Teste Muralt. in Cod. olim adsidua extabat, sed nunc adsidue, erasa littera *a* et eius loco littera *e* reposita per eamdem manum antiquam. — In seqq. pars edd. pro iudicis praebet iudicii, aliae iudices. 3) Edd. aliquot in omni ex emend. mg. Urs. 4) Sic Codd. et edd. optt. Quaedam edd. emendatum praebent ex altera lateat mira, aliae ex emend. mg. Urs. ex altera mira, deleto vocab. latere.

5) si potest reputare id Codd. Edd. aliae singula. Si potes reputare id, aliae singula. Si potest refutari id, aliae singula, si potest refutare. Id praebent. Ipse olim scribendum putavi: singula; si potest, refutaverit. Quod crim.

silentio liceat responsionem Ianuari [1]) nostri iam gestientis audire.

16. Et Octavius: Dicam equidem, ut potero, pro viribus, et adnitendum tibi [2]) mecum est, ut conviciorum amarissimam labem, verborum veracium in lumine [3]) diluamus. Nec dissimulabo principio ita Natalis [4]) mei errantem, vagam, lubricam nutasse sententiam, ut sit nobis ambigendum, utrum tua [5]) eruditio turbata sit, an vacillaverit per errorem. Nam interim deos credere, interim se deliberare variavit, ut propositionis incerto *incertior* [6]) responsionis nostrae intentio fundaretur. Sed in Natali meo versutiam nolo, non credo; procul est ab eius subtilitate simplici *tam* subtilis [7]) urbanitas. Quid igitur? ut qui rectam viam nescit ubi, ut fit, in plures una diffunditur [8]), quia viam nescit, haeret anxius, nec singulas audet eligere nec universas probare: sic cui non est veri stabile iudicium, prout infida suspicio spargitur, ita eius dubia opinio dissipatur. Nullum itaque miraculum est, si Caecilius identidem in contrariis ac repugnantibus iactetur aestu et fluctuetur [9]), quod ne fiat ulterius, convincam et redarguam, quamvis diversa, quae dicta sunt una, veritate confirmata probataque sint [10]). Nec dubitandum ei de ce-

---

1) h. e. Octavii. — gestientis sc. eloqui. —

2) Minuci. 3) Sic Codd. Pars edd. lumine, pars flumine aut in flumine. 4) Caecili. 5) Sic Cod. et optt. edd. Aliae non paucae sua pro tua habent. — In seqq. edd. aliquot cavillaverit pro vacillaverit receperunt. 6) Sic dedi cum plurr. edd. ex emend. mg. Urs. pro incerto certior, quod in Cod. extat; incerto incertior scribere nos iubent sequentia Octavii verba, quae alias sensu carerent. Davis. retinendum iudicat incerto certior, modo in praegressis pro ut restituatur ne. 7) subtilitate simplicitate subtilis Cod. quod correxi. Pleraeque edd. ab eius simplicitate subtilis, aliae subtilitate simplici subtilis habent. 8) Sic Cod. Aliquot edd. diffinditur, praeter necessitatem. — Quae sequuntur verba quia viam nescit ab editoribus quibusdam pro spuriis habita et deleta sunt. 9) Sic Cod. et plurr. edd. Cett. ex emend. Meursii aestuet, fluctuetur exhibent. 10) Sic Cod. exhibet locum male ab edd. et interpretibus habitum. Dicit Octavius se iam convincere et redarguere velle Caecilium, licet diversa (h. e. nonnulla, varia), quae una (sc. cum falsis, contrariis et repugnantibus) ab eo prolata sint, veritate confirmata atque probata sint. Hinc non opus erat delere illud, sint, aut post diversa interse-

tero [1]) est nec vagandum. Et quoniam meus frater erupit aegre se ferre, stomachari, indignari, dolere inliteratos, pauperes, imperitos, de rebus caelestibus disputare sciat omnes homines sine dilectu [2]) aetatis, sexus, dignitatis, rationis et sensus capaces et habiles procreatos nec fortuna nanctos [3]) sed natura insitos esse sapientiam; quin ipsos etiam philosophos, vel si qui alii artium repertores in memorias exierunt, priusquam sollertia mentis parerent nominis claritatem, habitos esse plebeios, indoctos, seminudos; adeo [4]) divites facultatibus suis inligatos magis aurum suspicere consuesse quam caelum: nostrates [5]) pauperes et commentos esse prudentiam et tradidisse ceteris disciplinam; unde apparet ingenium non dari facultatibus nec studio parari, sed cum ipsa mentis formatione generari. Nihil itaque indignandum vel dolendum, si quicunque de divinis quaerat, sentiat, proferat, cum non disputantis auctoritas, sed disputationis ipsius veritas requiratur, atque etiam, quo imperitior sermo, hoc inlustrior ratio [6]) est, quoniam non fucatur pompa facundiae et gratiae, sed, ut est, recti regula sustinetur.

17. Nec recuso, quod Caecilius adserere inter praecipua connisus [7]) est, hominem nosse se et circumspicere debere, quid sit, unde sit, utrum elementis concretus, an concinnatus atomis, an potius a Deo factus, formatus, animatus. Quod ipsum explorare et eruere sine universitatis inquisitione non possumus, cum ita cohaerentia, connexa, concatenata sint, ut nisi divinitatis rationem diligenter excusseris, nescias humanitatis, nec possis pulchre gerere rem civilem, nisi cognoveris hanc communem omnium mundi civitatem, praecipue cum a feris beluis hoc differamus, quod illa prona in terramque vergentia nihil nata sint

---

rere, ut in plerisque edd. factum video. 1) h. e. in futurum. — 2) Sic Cod. 3) Sic Cod. et ed. Muralt. (Cf. Ang. Maium ad Cic. de Republ. I, 10. p. 49. not. 6.). In cett. nactos. — In seqq. adnota accusativum sapientiam non sine duritie dupliciter structum et cum nanctos et cum insitos participiis. Quidam editores receperunt indeptos pro insitos. 4) Sic Cod. Non paucae edd. praebent seminudos. At vero ex emend. mg. Urs. 5) h. e. nostrae sectae, Christiani. 6) Voc. ratio deleta est in aliquot edd. —

7) Sic Cod. et complurr. edd. In aliis connixus.

prospicere nisi pabulum: nos quibus vultus erectus, quibus suspectus in caelum datus est, sermo et ratio, per quae Deum [1]) adgnoscimus, sentimus, imitamur, ignorare nec fas nec licet ingerentem sese oculis et sensibus nostris caelestem claritatem. Sacrilegii enim vel maximi instar est humi quaerere quod in sublimi debeas invenire. Quo magis mihi videntur qui hunc mundi totius ornatum non divina ratione perfectum volunt, sed frustis [2]) quibusdam temere cohaerentibus conglobatum, mentem, sensum, oculos denique ipsos non habere. Quid enim potest esse tam apertum, tam confessum tamque perspicuum, cum oculos in caelum sustuleris et quae sunt infra circaque lustraveris, quam esse aliquod numen praestantissimae mentis, quo omnis natura inspiretur, moveatur, alatur, gubernetur? Caelum ipsum vide quam late tenditur, quam rapide volvitur, vel quod in noctem astris distinguitur, vel quod in diem sole lustratur, iam scies, quam sit in eo summi moderatoris mira et divina libratio. Vide et annum ut solis ambitus faciat, et mensem vide ut luna auctu, senio, labore [3]) circumagat. Quid tenebrarum et luminis dicam recursantes vices, ut sit nobis operis et quietis alterna reparatio? Relinquenda vero astrologis prolixior de sideribus oratio, vel quod regant cursum navigandi, vel quod arandi metendique tempus inducant [4]), quae singula non modo ut crearentur, fierent, disponerentur, summi opificis et perfectae rationis eguerunt, verum etiam sentiri perspici, intellegi sine summa sollertia et ratione non possunt. Quid, cum ordo temporum ac [5]) frugum stabili varietate distinguitur, nonne auctorem suum, parentemque testatur? Ver aeque cum suis floribus et aestas cum suis messibus et au-

---

1) dm̄ Cod. Ed. princ. cum aliis nonnullis: dominum. — 2) h. e. atomis. 3) Lunae laborem videtur dicere non defectum, sed tempus illud, quo ὑπὸ τὰς ἀκτῖνας τοῦ ἡλίου ἡ σηλήνη κρύπτεται καὶ οὐ φαίνεται τοῖς ἀνθρώποις. Cassian. Bas. Geopon. I, 35. Hoc lunae mortem vocavit Theophil. ad Autolyc. I, p. 37. et II, p. 106. ed. Oxon. 4) Haec est Codd. lectio, quam quidam edd. inindicant corruperunt. — De re apte citat Davis. Philon. de Opific. Mundi p. 20. Cf. Cic. de Div. I, 9. et Constit. Apost. VII, 34. — Pro quod regant — quod arandi ed. princ. cum aliis quae regant — quae arandi praebet invito Cod. 5) Sic Cod. et optt. edd. Alii edd. ex ed. pr. receperunt hac.

tumni maturitas grata et hiberna olivitas [1]) necessaria, qui ordo facile turbaretur, nisi maxima ratione consisteret. Iam providentiae quantae, ne hiemps sola glacie ureret aut sola aestas ardore torreret, autumni et veris inserere medium temperamentum, ut per vestigia sua anni revertentis occulti et innoxii transitus laberentur [2]). Mari intende, lege litoris stringitur. Quicquid arborum est vide quam e terrae visceribus animatur. Aspice Oceanum, refluit reciprocis aestibus. Vide fontes, manant venis perennibus. Fluvios intuere, eunt semper exercitis lapsibus. Quid loquar apte disposita recta [3]) montium, collium flexa, porrecta camporum? Quidve animantium loquar adversus sese tutelam multiformem? alias armatas cornibus, alias dentibus septas et fundatas ungulis et spicatas aculeis, aut pedum celeritate liberas aut elatione pinnarum? Ipsa praecipue [4]) formae nostrae pulchritudo Deum fatetur artificem: status rigidus, vultus erectus, oculi in summo velut in specula constituti, et omnes ceteri sensus [5]) velut in arce compositi.

18. Longum est ire per singula. Nihil in homine membrorum est, quod non et necessitatis causa sit et decoris, et quod magis mirum est, eadem figura omnibus, sed quaedam unicuique lineamenta deflexa: sic et similes universi videmur, et inter se singuli dissimiles invenimur. Quid nascendi ratio? quid cupido generandi? nonne a Deo data est, et ut ubera partu maturescente lactescant, et ut tener fetus ubertate lactei roris adolescat? Nec universitati solummodo Deus, sed et partibus consulit. Britannia sole deficitur, sed circumfluentis maris tepore recreatur [6]). Aegypti siccitatem temperat Nilus amnis [7]), colit Euphrates Mesopotamiam, pro imbribus pensat Indus flumen et serere Orientem dicitur et rigare. Quod si ingressus ali-

---

1) Hibernam olivitatem dicit ipsam hiemem. Olivae enim mense Decembri maturescunt, teste Columella XII, 50. Simili usu apud poetas messis saepius ponitur pro aestate. Ovid. Met. XIV, 146. Virg. Ecl. V, 70. 2) Davis. apte citat Xenoph. Mem. IV, 3, 9. et Dion. Chrysost. Or. III, de Regno p. 50. ubi v. Morell. 3) arrecta cj. Meurs., erecta cj. Perizon., praeter necessitatem. 4) praecipuae ed. princ. cum aliis nonnullis. 5) sensibus Codd. vitiose. — Cf. Barth. Advv. X, 12. XIX, 7.

6) Strabo IV, p. 200. ed. Par. Herodian. III, 47. De maris tepore cf. Cic. N. D. II, 10. 7) Voc. amnis delent aliquot edd.—

quam domum omnia exculta, disposita, ornata vidisses, utique praeesse ei crederes dominum et illis bonis rebus multo esse meliorem: ita in hac mundi domo cum caelum terramque perspicias, providentiam, ordinem, legem, crede esse universitatis dominum parentemque ipsis sideribus et totius mundi partibus pulchriorem. Ni forte, quoniam de providentia nulla dubitatio est, inquirendum putas, utrum unius imperio, an arbitrio plurimorum caeleste regnum gubernetur, quod ipsum non est multi laboris aperire cogitanti imperia terrena, quibus exempla utique de caelo. Quando umquam regni societas aut cum fide coepit aut sine cruore discessit [1])? Omitto Persas de equorum hinnitu augurantes principatum et Thebanorum *par mortuum*, fabulam [2]), transeo. Ob pastorum et casae regnum de geminis [3]) memoria notissima est. Generi et soceri [4]) bella toto orbe diffusa sunt, et tam magni imperii duos fortuna [5]) non cepit. Vide cetera: rex unus apibus, dux unus in gregibus, in armentis rector unus: tu in caelo summam potestatem dividi credas, et scindi veri illius ac divini imperii totam potestatem, cum palam sit parentem omnium Deum nec principium habere nec terminum, qui nativitatem omnibus praestet, sibi perpetuitatem, qui ante mundum fuerit sibi ipse pro mundo. Qui universa quaecumque sunt verbo iubet, ratione dispensat, virtute consummat. Hic nec videri potest, visu clarior est, nec comprendi potest nec aestimari [6]), sensibus maior est, infini-

---

In seqq. verba pro imbribus pensat in edd. nonnullis prorsus desiderantur, in aliis male ad praegressa referuntur. — De re v. Cic. N. D. II, 52. 1) Sic Codd. et optt. edd. In aliis desiit ex emend. mg. Urs. 2) permortuam fabulam Codd. et primae edd. praemortuam fabulam mg. ed. Urs. et inde aliae. In cett. aut par, mortuam, aut par mortuum aut germanorum extat. Ipse olim cj. par mortuum fratrum, cuius tamen nunc paenitet. Fabulam enim dicit quo excuset exemplum ex mythologia repetitum inter historica, quibus suam sententiam probet atque stabiliat. — „Thebanum par" Eteocles et Polynices dicuntur etiam apud Petron. c. 80. 3) Romulo et Remo. 4) Pompeii et Caesaris. — Pro memoria quaedam edd. historia habent. 5) sors una cj. Meurs. Sed. v. Lucan. Phars. I, 109. 6) Sic Cod. Par. et pars edd., nisi quod cum Cod. Br. et ed. pr. comprehendi habent. Reliquarum non paucae ex emend. mg. Urs. praebent: nec comprehendi, vel comprehendi potest,

tus, inmensus et soli sibi tantus quantus est notus; nobis vero ad intellectum pectus angustum est, et ideo sic eum digne aestimamus, dum inaestimabilem dicimus. Eloquar quemadmodum sentio: magnitudinem Dei qui se putat nosse, minuit; qui non vult minuere, non novit. Nec nomen Deo [1]) quaeras, Deus nomen est. Illic vocabulis opus est, cum per singulos propriis appellationum insignibus multitudo dirimenda est: Deo, qui solus est, Dei vocabulum totum est. Quem si patrem dixero, terrenum opineris; si regem, carnalem suspiceris; si dominum, intelleges utique mortalem. Aufer additamenta nominum, et perspicies eius claritatem. Quid, quod omnium de isto habeo consensum? Audio vulgus, cum ad caelum manus tendunt, nihil aliud quam Deum dicunt et: *Deus magnus est* et: *Deus verus est* et: *si Deus dederit.* Vulgi iste naturalis sermo est, an Christiani confitentis oratio? Et qui Iovem principem volunt, falluntur in nomine, sed de una potestate consentiunt.

19. Audio poetas quoque unum patrem divum atque hominum praedicantes, et talem esse mortalium mentem, qualem parens omnium diem duxerit [2]). Quid Mantuanus Maro? nonne apertius, proximius, verius [3])? *Principio*, ait, *caelum ac terras* et cetera mundi membra *spiritus intus alit et infusa mens agitat; inde hominum pecudumque genus* [4]) et quicquid aliud animalium. Idem alio loco mentem istam et spiritum Deum nominat. Haec enim *verba*

---

tactu purior est, nec aestimari, prob. Meurs. et Canter., qui in libro Var. Lectt. I, 7. testatur ex antiquo manu exarato codice se illa verba tactu purior est proferre. Sane, sed non ex Codice qui Minucii Octavium, sed qui Cypriani libellum de Idolorum Vanitate continebat, in cuius capite 5. illa leguntur. Inde autem, quod Cyprianum ut in hoc, ita multis in aliis locis exscripsisse Minucium constat, non hoc licentiae redundare debebat, ut huius additamenta genuinae illius orationi obtruderentur. 1) Sic Codd. et optt. edd. In aliis Dei. —

2) Sic Codd. et optt. edd. Aliae cum ed. pr. praebent omnium Deus induxerit. Octavius exprimere voluit verba Homeri Od. XVII, 135. (cf. Cic. ap. August. C. D. V, 8.). omnium in diem induxerit Herald., omnium diem induxerit Davis. emendandum putarunt. 3) Sic Codd. et edd. praeter Wowesii, qui proximius veris emendavit. Heumann. pro verius cj. uberius. — Proximius sc. ad rem. I. Fr. Gronov. in Observv. I, 24. proximius explicat „quod praesentioris sit fidei“. In seqq. omnes edd. praeter Muralt. et terras habent, invitis Codd. 4) Virg. Aen. VI, 724.

sunt [1]): *Deum namque ire per omnes terrasque tractusque maris caelumque profundum, unde homines et pecudes, unde imber et ignes* [2]). Quid aliud et a nobis Deus quam mens et ratio et spiritus praedicatur? Recenseamus, si placet disciplinam philosophorum, deprehendes eos, etsi sermonibus variis, ipsis tamen rebus in hanc unam coire et conspirare sententiam. Omitto illos rudes et veteres, qui de suis dictis sapientes esse meruerunt. Sit [3]) Thales Milesius omnium primus, qui primus omnium de caelestibus disputavit. Idem [4]) Milesius Thales rerum initium aquam dixit, Deum autem eam mentem, quae ex aqua cuncta formaverit (et [5]) altior et sublimior aquae et spiritus ratio, quam ut ab homine potuerit inveniri; a Deo traditum) [6]): — vides philosophi principalis nobiscum penitus opinionem consonare. Anaximenes deinceps et post Apolloniates Diogenes aëra Deum statuunt infinitum et inmensum. Horum quoque similis de divinitate consensio est. Anaxagorae vero descriptio et *motus* [7]) infinitae mentis Deus dicitur, et Pythagorae Deus est animus per universam rerum naturam commeans et intentus, ex quo etiam animalium omnium vita capiatur [8]). Xenophanen notum est omne infinitum cum mente Deum tradere, et Antisthenen populares deos multos, sed naturalem unum praecipuum, Speusippum [9]) vim naturalem, animalem qua omnia

---

1) haec enim vera sunt Codd. et primae edd. Cett. edd. pars haec enim eius verba sunt, (ex emend. mg. Urs.), pars haec enim verba sunt habent. 2) Cod. Br. ignis. — Virg. Georg. IV, 221. Aen. I, 747. — V. de his et de seqq. Cic. N. D. I, 11 sqq., ex quo hausit Minucius. 3) Sic Codd. 4) Sic Cod. (test. Crusio et Hildebr.) et plurr. edd.; isdem in Cod. legebat Muralt. Iac. Gronov. pro idem voluit is legi, prob. Lindnero. Ceterarum edd. pars verba Milesius Thales uncinis inclusa habet, pars delet. 5) ec vel eo, ut alii legebant, Cod. praebet. Hinc pars edd. cum Sabaeana et, pars cum Rigalt. eho dederunt. Nec defuerunt, qui totum hunc locum tamquam a glossatore aliquo profectum prorsus delendum putarent; incaute nimis, ut recte iudicat Davis. Est ἐκφώνημα παρενθετικόν. Minucius respexit haud dubie ad Genes. cap. 1, 2. ubi cf. Cleric. adnot. 6) Sic Codd. Ed. pr. cum aliis non paucis tradita praebet. poterit Codd. et edd. aliquot, vitiose. 7) metus Codd. Edd. primae modus habent. V. Cic. l. l. 8) capitatur Cod., unde captatur cj. Meurs. et Rigalt. 9) Zeuxippus Cod. corrupte. Speusippus edd. vett. aliquot. — In seqq: Deum esse pro

regantur Deum nosse. Quid Democritus? quamvis atomorum primus inventor, nonne plerumque naturam, quae imagines fundat [1]), et intellegentiam Deum loquitur? Straton quoque et ipse naturam. Etiam Epicurus ille qui deos aut otiosos fingit aut nullos, naturam tamen superponit. Aristoteles variat et adsignat tamen unam potestatem; nam interim mentem, mundum interim Deum dicit, interim mundo Deum praeficit [2]). Heraclides Ponticus quoque Deo divinam mentem quamvis varie adscribit. Theophrastus et Zenon et Chrysippus et Cleanthes sunt et ipsi multiformes, sed ad unitatem providentiae omnes revolvuntur. Cleanthes enim mentem modo animum, modo aethera, plerumque rationem Deum disseruit. Zenon eiusdem magister naturalem legem atque divinam et aethera interim interdumque rationem vult omnium esse principium; idem interpretando Iunonem aëra, Iovem caelum, Neptunum mare, ignem esse Vulcanum et ceteros similiter vulgi deos elementa esse monstrando publicum arguit graviter et revincit errorem. Eadem fere Chrysippus: vim divinam, rationalem naturam et mundum interim et fatalem necessitatem Deum credit Zenonemque interpretatione physiologiae in Hesiodi, Homeri Orpheique carminibus imitatur. Babylonio etiam Diogeni disciplina est exponendi et disserendi Iovis partum et ortum Minervae et hoc genus *cetera* [3]), rerum vocabula esse non deorum. Nam Socraticus Xenophon [4]) formam Dei veri negat videri posse et

Deum nosse emendatur in mg. ed. Urs. et voc. naturalem delet Davis., quia apud Cic. N. D. I, 13., unde haec Minucii fluxerunt, non extet. 1) Cf. Diog. Laert. IX, 44. Cic. N. D. I, 12. 2) Post praeficit in Codd. haec inserta leguntur: Aristoles Ponticus variat, alias mundo, alias menti divinae tribuens principatum, quae glossatoris non Minucii esse nemo est qui non videat. Adscripserit nempe ille in margine sui exempli: Aristoteles — Ponticus sqq., quae verba postea librariorum incuria in textum irrepserunt. — Pithoeus pro Aristoles Ponticus cj. Aristo Chius Stoicus. Edd. pars retinet Codd. verba Aristoles mutato in Aristoteles, pars uncinis inclusa habet aut delet ex sententia Meursii et mg. Urs., cett. cum Rigalt. praeficit. Heraclides — — adscribit, alias mundo, alias menti divinae tribuens principatum. Theophrastus praebent. 3) ceterarum Cod. vitiose. In edd. vett. extat genus rerum vocabulo deleto. 4) Xenoph. Memor. IV, 3, 13. Cf. Cic. N. D. I, 12. Lactant. de

ideo quaeri non oportere, Aristo *Stoicus* [1]) conprehendi omnino non posse; uterque maiestatem Dei intellegendi desperatione senserunt. Platoni apertior de Deo et rebus ipsis et nominibus [2]) oratio est et quae tota esset caelestis, nisi persuasionis civilis nonnumquam admixtione sordesceret. Platoni itaque in Timaeo Deus est ipso suo [3]) nomine mundi parens, artifex animae, caelestium terrenorumque fabricator, quem et invenire difficile prae nimia et incredibili potestate, et cum inveneris, in publicum dicere inpossible praefatur. Eadem fere et ista quae nostra [4]) sunt. Nam et Deum novimus et parentem omnium dicimus, et numquam publice nisi interrogati praedicamus.

20. Exposui opiniones omnium ferme philosophorum quibus inlustrior gloria est Deum unum multis licet designasse nominibus, ut quivis arbitretur aut nunc Christianos philosophos esse aut philosophos fuisse iam tunc Christianos. Quod si providentia mundus regitur et unius Dei nutu gubernatur, non nos debet antiquitas inperitorum fabellis suis delectata vel capta ad errorem mutui rapere consensus, cum philosophorum suorum sententiis refellatur, quibus et rationis et vetustatis adsistit auctoritas. Maioribus enim nostris tam facilis in mendaciis fides fuit, ut temere crediderint etiam alia monstruosa, *mera* miracula [5]); Scyllam multiplicem, Chimaeram multiformem et Hydram felicibus vulneribus renascentem et Centauros equos suis [6]) hominibus inplexos et quicquid famae licet fingere illis erat libenter audire. Quid illas aniles fabulas, de hominibus aves et feras *omnes* [7]), et de hominibus arbores atque flores? quae si essent facta, fierent: quia fieri non possunt, ideo nec facta sunt. Similiter ac [8]) vero erga deos quo-

---

Ira Dei c. 11. 1) Aristo stonicus Codd. Aristo Stoicus ed. Muralt. In cett. Aristo Chius. 2) Cf. Clem. Recogn. VIII, 20. 3) suo deletum in nonnullis edd. ex emend. mg. Urs. — Cf. Plat. Tim. p. 526. ed. LB. et Intt. ad Cic. N. D. I, 12. 4) fere ista quae et nostra edd. aliquot ex emend. mg. ed. Urs. —

5) mira miracula Codd. Pars edd. cum Sabaeana voc. mira omittit, aliae retinent. mera miracula mea est emendatio. 6) Sic Codd. — In seqq. pro licet malim libet. 7) Sic correxi cum Hildebr. ad Apul. I, p. 1001, pro homines, quod Codd. praebent; omnes significat cuiusvis generis; v. ne longus sim Intt. ad Horat. Epp. I, 5, 2. Edd. pars voc. homines delet. 8) Voc.

que maiores nostri inprovidi, creduli, rudi simplicitate crediderunt: dum reges suos colunt religiose, dum defunctos eos desiderant in imaginibus videre, dum gestiunt eorum memorias in statuis detinere [1]), sacra facta sunt quae fuerant adsumpta solatia. Denique et antequam commerciis orbis pateret, et antequam gentes ritus suos moresque miscerent, unaquaeque natio conditorem suum aut ducem inclytum aut reginam pudicam sexu suo fortiorem aut alicuius muneris vel artis repertorem venerabatur, ut civem bonae memoriae; sic et defunctis praemium et futuris dabatur exemplum.

21. Lege Stoicorum [2]) scripta vel scripta sapientium: eadem mecum recognosces. Ob merita virtutis aut muneris deos habitos *Euhemerus* [3]) exsequitur, et eorum natales, patrias, sepulcra dinumerat et per provincias monstrat Dictaei Iovis et Apollinis Delphici et Phariae [4]) Isidis et Cereris Eleusiniae. Prodicus [5]) adsumptos in deos loquitur, qui errando inventis novis frugibus utilitati hominum profuere. In eamdem sententiam et Persaeus [6]) philosophatur et adnectit inventas fruges, et frugum ipsarum repertores isdem nominibus, ut comicus sermo est, Venerem sine Libero et Cerere frigere [7]). Alexander ille magnus Macedo insigni volumine ad matrem suam [8]) scripsit, metu suae potestatis proditum sibi de diis hominibus a sacerdote [9]) secretum; illi Vulcanum facit omnium principem, et postea Iovis gentem [10]).

---

ac, quod Codd. auctoritas tuetur, male abest in aliquot edd. Particula vero h. l. significat „sane". 1) Quattuor primae edd. instantius habent pro in statuis, invitis Codd. —

2) Sic Codd. et optt. edd. Aliae historicorum ex emend. mg. ed. Urs. 3) Pro Euhemerus Codd. et ed. pr. praebent vitiosissime erueret, quod primum correxit Gelenius. — De ipso Euhemero v. quos citavi ad Arnob. IV, 29. 4) delfi et fariae (corr. a m. sec. pariae Cod., unde pars edd. Delphici et Phariae pars Delphici, Phariae exhibet. — In seqq. Eleusiniae ex Cod. reponendum erat, pro quo plurr. edd. Eleusinae. 5) V. Cic. N. D. I, 42. ibique Intt. 6) Cic. N. D. I, 15., et Menag. ad Diog. Laert. VII, 36. 7) Terent. Eun. IV, 5, 5. 8) Memorat hunc librum Alexandri ad matrem Olympiadem Athenag. Leg. pro Christ. 24. Cf. Tertull. de Pall. 3. August. C. D. VIII, 5, 27. XII, 10. et de Consensu Evang. I, 23. 9) Leonem appellat August. C. D. VIII, 5. Idem esse videtur quem Pellaeum dicit Arnob. IV, 29. ubi v. quae adnotavi. In seqq. pars edd. ille, pars illic habent praeter Codd. auctoritatem, qui illi praebent. 10) sc. facit, h. e. natam esse prodit. — Brevi-

Et *despice sis* Isidis [1]) ad hirundinem, sistrum, et adsparsis [2]) membris inanem tui Serapidis sive Osiris tumulum, considera denique sacra ipsa et ipsa [3]) mysteria: invenies exitus tristes, fata et funera et luctus atque planctus miserorum deorum. Isis perditum filium cum Cynocephalo suo et calvis sacerdotibus [4]) luget, plangit, inquirit, et Isiaci miseri caedunt pectora et dolorem infelicissimae matris imitantur; mox invento parvulo gaudet Isis, exultant sacerdotes, Cynocephalus inventor gloriatur, nec desinunt annis omnibus vel perdere quod inveniunt, vel invenire quod perdunt. Nonne ridiculum est vel lugere quod colas, vel colere quod lugeas? Haec tamen Aegyptia quondam, nunc et sacra Romana sunt [5]). Ceres facibus accensis et serpente *circumlata* [6]) errore subreptam et corruptam Liberam anxia et sollicita vestigat. Haec sunt Eleusinia. Et [7]) quae Iovis sacra sunt? Nutrix capella est, et avido patri subtrahitur infans, ne voretur, et Corybantum cymbalis, ne pater audiat vagitus, *tinnitus* [8]) eliditur. Cybelae Dindyma pudet dicere, quae adulterum suum infeliciter placitum, quoniam et ipsa deformis et vetula, ut [9]) multorum deorum mater, ad stuprum inlicere non poterat, exsecuit, ut deum scilicet faceret eunuchum. Propter hanc fabulam Galli

---

loquentia Minucianae orationi sueta. — De re v. Diod. Sic. I, 15. et Euseb. Praep. Evang. II, 1. 1) et despicis Isidis Cod. quod emendavi. Edd. pleraque pars gentem et dispicis Isidis vel gentem. Dispice Isidis, aut gentem et de spicis Isidis habent. et aspice sis Isidis cj. Salmas. et respice sis Isidis cj. Davis. Alii aliter. — De hirundine cf. Plut. de Isid. et Osir. p. 357. C. 2) Sic Cod. et optt. edd. In cett. adspersis vel dispersis. Legendum fortasse ad sparsis membris inanem. — In seqq. Codd. Osiris, edd. omnes Osiridis habent. 3) ipsa abest in aliquot edd. 4) Artemidor. I, 23. Cf. Martial. Epigr. XII, 29. et Intt. — Vett. edd. praebent aliis sacerdotibus. 5) Cf. Tertull. Apol. 6. adv. Nat. I, 10. 6) circumdata Codd. et pars edd. In cett. circumlata, quod extat etiam in ed. pr. Cf. Cornut. N. D. 28. Spanh. ad Callim. Hymn. in Cer. v. 9. Ovid. Met. IV, 491. Serpentem dicit draconum bigam. 7) Alii At ex emend. mg. Urs. 8) initus Codd. et pars edd. Alii corrigunt intus elid. vel tinnitus editur vel tinnitu eliditur. Recepi vulgatam. Hildebr. ad Apul. I, p. 245. cj. imitus elid. — In seqq. vett. edd. praebent Cybele Dindymena. al. Cybelae Dindymena vel Cybelen Dindymenam. — Loca, ubi concelebrabantur Cybeles solemnia, pro ipsis solemnibus. 9) Sic Cod., non et, quod in quibusdam edd. vett. habetur. — De re cf.

eam et semiviri sui corporis supplicio colunt. Haec iam non sunt sacra, tormenta sunt. Quid formae ipsae et habitus? nonne arguunt ludibria et *dedecora* [1]) deorum vestrorum? Vulcanus claudus deus et debilis, Apollo tot aetatibus levis Aesculapius bene barbatus, etsi semper adulescentis Apollinis filius; Neptunus glaucis oculis, Minerva caesis [2]), bubulis Iuno; pedibus Mercurius alatis, Pan ungulatis, Saturnus compeditis: Ianus vero frontes duas gestat, quasi et [3]) aversus incedat; Diana interim est alte succincta venatrix et Ephesia mammis multis et *uberibus* [4]) extructa et Trivia trinis capitibus multis manibus horrifica. Quid ipse Iuppiter vester? modo inberbis statuitur, modo barbatus locatur, et cum Hammon dicitur, habet cornua, et cum Capitolinus, tunc gerit fulmina, et cum Latiaris, cruore perfunditur, et cum Feretrius, *tribus una aditur* [5]). Et ne longius multos Ioves obeam, tot sunt Iovis monstra quot nomina [6]). Erigone suspensa de laqueo est, ut virgo inter astra ignita [7]) sit; Castores alternis moriuntur ut vivant; Aesculapius ut in Deum surgat, fulminatur; Hercules ut hominem exuat, Oetaeis [8]) ignibus concrematur.

22. Has fabulas et errores et ab imperitis parentibus discimus [9]), et quod est gravius, ipsis studiis et disciplinis elaboramus, carminibus praecipue poëtarum, qui plurimum [10]) quantum veritati ipsi sua auctoritate nocuere. Et Plato ideo praeclare Homerum illum inclytum, laudatum et coronatum de civitate, quam in sermone institue-

---

Arnob. V, 7. August. C. D. VI, 7. 1) decora Cod. et ed. pr. 2) Sic Cod. et ed. Muralt. In cett. caesiis. 3) Sic Cod. et optt. edd. In aliis compluribus quasi ut extat. 4) veribus Codd. verubus edd. vett. 5) Feretrius non auditur. Codd. vitiose, quod correxi. Edd. partim cum Codd. faciunt, partim Feretrius non aditur praebent. Alii cj. Fer. pompa aditur, vel Fer. opimis induitur vel Fer. votis aditur vel Fer. nomen auditur vel Fer. non clauditur. Locus a me emendatus lucem accipit ex lege Numae de spoliis opimis, qui praecepit prima spolia Iovi Feretrio debere suspendi, secunda Marti, tertia Quirino. V. Serv. ad Virg. Aen. VI, 859. 6) Tertull. Apol. 14. 7) ignata Cod. vitiose. signata cj. Gronov. — Cf. Nonn. Dionys. XLVII, 246. Apollod. III, 14, 7. Manil. Astron. II, 442. Hygin. Poet. Astr. II, 4. et Fab. 130. 8) henneis Codd.

9) didicimus aliquot edd. cum princ. — In seqq. pro ipsis Meurs. cj. ipsi. 10) Sic Codd. Ed. princ. cum aliis nonnullis qui permirum praebet. In seqq. aliquot edd. ipsa sua

bat, eiecit[1]). Hic enim praecipuus bello Troico deos vestros, etsi ludos facit, tamen in hominum rebus et actibus miscuit, hic eorum paria composuit, sauciavit Venerem, Martem vinxit, vulneravit, fugavit. Iovem narrat Briareo[2]) liberatum, ne a diis ceteris ligaretur, et Sarpedonem filium, quoniam morti non poterat cripere, cruentis imbribus *flevisse*, et *loro*[3]) Veneris inlectum flagrantius quam in adulteras soleat cum Iunone uxore concumbere. Alibi Hercules stercora egerit, et Apollo Admeto pecus pascit. Laomedonti vero muros Neptunus instituit, nec mercedem operis infelix structor accepit[4]). Illic Iovis fulmen cum Aeneae armis in incude fabricatur, cum caelum et fulmina et fulgura longe ante fuerint, quam Iuppiter in Creta nasceretur, et flammas veri fulminis nec Cyclops potuerit imitari nec ipse Iuppiter non vereri. Quid loquar Martis et Veneris adulterium deprehensum, et in Ganymedem Iovis stuprum caelo consecratum? Quae omnia in hoc prodita, ut vitiis[5]) hominum quaedam auctoritas pararetur. His atque huiusmodi figmentis et mendaciis dulcioribus corrumpuntur ingenia puerorum et isdem fabulis inhaerentibus adusque summae aetatis robur adolescunt et in isdem opinionibus miseri consenescunt, cum sit veritas obvia, sed requirentibus. Saturnum enim principem huius generis et examinis omnes scriptores vetustatis Graeci Romanique hominem prodiderunt. Scit hoc Nepos et Cassius in historia, et Thallus ac Diodorus hoc loquuntur. Is itaque Saturnus Creta profugus Italiam metu filii saevientis accesserat, et Iani[6]) susceptus hospitio rudes illos homines et agrestes multa docuit, ut Graeculus et politus, litteras in-

---

habent praeter Codd. auctoritatem. 1) Plat. Polit. III, p. 437. — Vide de his verbis quae disputat Davis. ad Max. Tyr. Diss. 7. p. 463. ed. Reiske, et ad hunc ipsum Minucii locum. Male enim Minucius Graecum percepit, cum civitas non „in sermone instituta," sed ratione (λόγῳ; cf. Plat. Polit. V, p. 465.) concepta atque formata sit intelligenda. A quo errore cavit Augustin. C. D. II, 14. 2) Sic Codd. Edd. complures: a Briareo habent. 3) flevit et thoro Codd. et ed. pr. mendose. — Pro loro quaedam edd. cesto habent. 4) accipit extat in edd. nonnullis. — In seqq. complur. edd. Illic Vulcanus Iovis praebent, invitis Codd., ex emend. mg. Urs. 5) Sic Codd. et optt. edd. In aliis ut iudiciis. — In seqq. pro pararetur extat in quibusdam edd. pareretur. 6) Sic Codd. et optt. edd. Edd. vett. accesserat etiam,

primere, nummos signare, instrumenta conficere. Itaque latebram suam, quod tuto latuisset, vocari maluit Latium et urbem Saturniam, *quam* dedit de suo [1]) nomine, et Ianiculum Ianus, ad memoriam uterque posteritatis reliquerunt. Homo igitur utique qui fugit, homo utique qui latuit, et pater hominis, et natus ex homine: terrae enim vel [2]) caeli filius, quod apud Italos esset ignotis parentibus, proditus, ut in hodiernum inopinato visos caelo missos, ignobiles et ignotos terrae filios nominamus. Eius filius Iuppiter Cretae excluso parente regnavit, illic obiit, illic filios habuit; adhuc antrum Iovis visitur et sepulcrum eius ostenditur, et ipsis sacris suis humanitatis arguitur.

23. Otiosum est ire per singulos et totam seriem generis istius explicare, cum in primis parentibus probata mortalitas in ceteros ipso ordine successionis influxerit; nisi forte post mortem deos fingitis, *ut* [3]) peierante Proculo deus Romulus, et Iuba Mauris volentibus [4]) deus est, et divi ceteri reges, qui consecrantur non ad fidem numinis, sed ad honorem emeritae potestatis. Invitis his [5]) denique hoc nomen adscribitur; optant in homine perseverare, fieri se deos metuunt, etsi iam [6]) senes, nolunt. Ergo nec de mortuis dii, quoniam Deus mori non possit [7]), nec de natis, quoniam moritur omne quod nascitur: divinum autem id est, quod nec ortum habet nec occasum. Cur enim, si nati sunt, non hodieque nascuntur? nisi forte iam Iuppiter senuit, et partus in Iunone defecit, et Minerva canuit antequam peperit. An ideo cessavit ista generatio, quoniam nulla huiusmodi fabulis praebetur adsensio? Ceterum si dii creare [8]) possent, interire non possent, plures totis hominibus deos haberemus, ut iam eos nec caelum contineret nec aër caperet nec terra gestaret. Unde manifestum est

---

aliae accessit et Iani praebent. 1) Saturniam dedit de suo Codd. vitiose, quod emendavi. Pars edd. Saturniam de suo habet, omisso voc. dedit. 2) Sic Codd. et ed. Muralt. In cett. et. — De re cf. Tertull. Apol. 10. Lactant. Inst. I, 11.

3) et Codd. et edd. ut correxi cum Meursio. 4) Cf. quae adnotavi ad Arnob. I, 36. 5) his in nonnullis edd. non comparet. 6) Correxerunt et etiamsi vel et etsi iam, sed praeter necessitatem. 7) Sic Codd. (nisi quod posset habent) et optt. edd. In aliis legitur: mortuis dii sunt, quoniam D. m. n. potest. 8) Sic Codd. Edd. aliquot praebent creari. Pro possent — possent in Codd. possint — possent, in edd. aliquot

homines illos fuisse, quos et natos legimus et mortuos scimus. Quis ergo dubitat horum imagines consecratas vulgus orare et publice colere, dum opinio et mens imperitorum artis concinnitate decipitur, auri fulgore praestringitur [1]), argenti nitore et candore eboris hebetatur? Quod si in animum quis inducat, tormentis quibus et quibus machinis simulacrum omne formetur, erubescet timere se materiem ab artifice, ut deum faceret, inlusam [2]). Deus enim ligneus, rogi fortasse vel infelicis stipitis portio, suspenditur, caeditur, dolatur, runcinatur. Et deus aereus [3]) vel argenteus de immundo vasculo, ut saepius factum, Aegyptio regi conflatur [4]), tunditur, malleis et incudibus figuratur; et lapideus caeditur, sculpitur et ab impurato [5]) homine levigatur, nec sentit suae nativitatis iniuriam, ita ut nec postea de vestra veneratione culturam; nisi forte nondum deus saxum est vel lignum vel argentum. Quando igitur hic nascitur? Ecce funditur, fabricatur, sculpitur [6]); nondum deus est: ecce plumbatur, construitur, erigitur; nec adhuc deus est: ecce ornatur, consecratur, oratur; tunc postremo deus est, cum homo illum voluit [7]) et dedicavit.

24. Quanta vero [8]) de diis vestris animalia muta naturaliter iudicant? mures, hirundines, milvi non sentire eos sciunt, norunt, inculcant [9]), insident, ac nisi abigatis, in ipso dei vestri ore nidificant. Araneae vero faciem eius intexunt et de ipso capite sua fila suspendunt. Vos tergetis [10]), mundatis, eraditis et illos, quos facitis, protegi-

---

possunt — possunt extat. 1) Sic Codd. et optt. edd. In aliis perstringitur. 2) Sic Codd. et optt. edd. Vett. edd. temere se materies (vel: materiei) — illusum habent. 3) Sic Codd. et plurr. edd. cereus ed. pr. aureus cj. Guyet., Heumann., Gataker. 4) Posui comma post factum. Iac. Gronov. cj. saepius, ut f. prob. Davis. ut accepimus f. cj. Vonck., ut legimus aut scimus cj. Gataker Adv. Misc. II, 19. Respicit Octavius ad ea quae Herod. II, 172. narrat; cf. Athenagor. Leg. pr. Chr. c. 23. et Iustin. Mart. Apol. I, 9. 5) Sic Codd. et optt. edd. In vett. extat imperito. 6) Sic Codd. et ed. Muralt. In cett. omnibus (uti iam supra) scalpitur extat. 7) sc. esse deum. Sic Codd. et optt. edd. Vett. edd. ille voluit praebent. Nec deerant qui pro voluit mallent coluit vel vovit. Sed perperam.

8) Sic Codd. et maxima pars edd. In aliis legitur Quanto verius ex emend. mg. Urs. „Quanta — iudicant" dictum puto pro: Quanti — faciunt. 9) rodunt, insultant emend. Wower. 10) Sic Codd. et ed. Muralt. In cett. omnibus tergitis.

tis et timetis, dum unusquisque vestrum non cogitat prius se debere deum nosse, quam colere, dum inconsulte gestiunt parentibus oboedire, dum fieri malunt alieni erroris accessio quam sibi credere, dum nihil ex his quae timent norunt; sic in auro et argento avaritia consecrata est [1]), sic statuarum inanium consignata forma, sic nata Romana superstitio, quorum [2]) ritus si percenseas, ridenda quam multa, *multa* [3]) etiam miseranda sunt. Nudi cruda hieme discurrunt [4]), alii incedunt pileati, scuta vetera circumferunt [5]), pelles caedunt [6]), mendicantes vicatim deos ducunt [7]); quaedam fana semel anno adire permittunt, quaedam in totum nefas visere [8]), est quo viro *ire* non licet, et nonnulla absque feminis sacra sunt [9]); etiam servo quibusdam caerimoniis interesse piaculare flagitium est [10]), alia sacra coronat univira [11]), alia multivira, et magna religione conquiritur quae plura possit adulteria numerare [12]). Quid, qui sanguine suo libat et vulneribus suis supplicat, non profanus melius esset, quam sic religiosus? aut cui exta [13]) sunt obscena demessa, quo modo deum violat qui hoc modo placat! cum si eunuchos deus vellet, posset procreare, non facere. Quis non intellegat male sanos et vanae et perditae mentis in ista desipere, et ipsam errantium tur-

1) Ad haec verba explicanda facit locus Lactant. Div. Inst. II, 6. — In seqq. voc. forma ablativus est non nominativus. 2) Loquitur tamquam Romanorum praecesserit. Sic Lucret. II, 173. „genus humanum — quorum". 3) Alterum multa desideratur in Codd. et in ed. pr. 4) Luperci. Lactant. I, 21. Hartung Rel. d. Röm. II, 77 sqq. 5) Salii. Hartung l. l. II, 163 sqq. 6) Cybeles sacerdotes. Phaedr. Fab. III, 20. Catull. LXIII, 8. Sueton. Aug. 68. Varro ap. Non. p. 49, 20. v. Tonimus. 7) Pro vicatim Codd. et ed. pr. vitiose vicantes exhibent, quod emendavit Gelenius. Viantes cj. Davis. De re cf. Tertull. Apol. 42. et Intt. ad Apulei. Met. VIII, 24. 8) V. Lobeckii Aglaoph. I, 279. n. ubi omnes vett. scriptorum locos huc pertinentes collectos habes. — In seqq. Codd. et pleraque pars edd. quo viro, aliae quaedam viro habent; quo viro ire cj. Davis. quod in textum recepi. Particula et ante nonnulla desideratur in edd. non paucis. 9) Lactant. III, 19. Macrob. Sat. I, 12. Aurel. Vict. de Orig. Gent. Rom. II, 14. 10) Liv. IX, 29. Serv. ad Aen. VIII, 268. Lactant. II, 7. et Ovid. Fast. VI, 478 sqq. et 551 sqq. Tertull. de Monogam. c. 17. 11) Serv. Aen. IV, 19. Hieronym. adv. Iovin. I, 6 et 30. et l. III. Comment. ad Ep. Paul. ad Galat. c. 6. 12) Strab. Geogr. l. XII, extr. Eustath. ad Dionys. Perieg. v. 846. 13) Sic Codd. et optt. edd. In aliis extat testa. Exta obscena dicit proles.

bam mutua sibi patrocinia praestare? Hic defensio communis furoris est furentium multitudo.

25. Attamen ista ipsa superstitio Romanis dedit, auxit, fundavit imperium, cum non tam virtute, quam religione et pietate pollerent. Nimirum insignis et nobilis iustitia Romana ab ipsis imperii nascentis incunabulis auspicata est. Nonne in ortu suo et scelere collecti et muniti immanitatis suae terrore creverunt? Nam asylo prima plebs congregata est; confluxerant perditi, facinorosi, incesti, sicarii, proditores, et ut ipse Romulus imperator et rector populum suum facinore praecelleret, parricidium fecit. Haec prima sunt auspicia religiosae civitatis. Mox alienas virgines iam desponsatas, iam destinatas, et nonnullas de matrimonio mulierculas sine more [1]) rapuit, violavit, inlusit, et cum earum parentibus, id est [2]) cum soceris suis, bellum miscuit, propinquum sanguinem fudit. Quid inreligiosius, quid audacius, quid ipsa sceleris confidentia tutius? Iam finitimos agro pellere, civitates proximas evertere cum templis et altaribus, captos cogere, damnis alienis et suis sceleribus adolescere cum Romulo regibus ceteris et postremis [3]) ducibus disciplina communis est. Ita quicquid Romani tenent, colunt, possident, audaciae praeda est: templa omnia de manubiis, id est de ruinis urbium, de spoliis deorum, de caedibus sacerdotum; hoc insultare et inludere est, victis religionibus servire, captivas eas post victorias adorare. Nam adorare quae manu ceperis, sacrilegium est consecrare, non numina. Totiens ergo Romanis impiatum est, quotiens triumphatum; tot de diis spolia, quot de gentibus et tropaea. Igitur Romani non ideo tanti quod religiosi, sed quod impune sacrilegi. Neque enim potuerunt in ipsis bellis deos adiutores habere adversus quos arma rapuerunt, et quos postulaverant [4]), detriumphatos colere coeperunt.

1) Virg. Aen. VIII, 685. — De voc. inludere sensu obsceno cf. Heins. Advv. II, 9. 2) Verba id est cum soceris suis pro gloss. habet Wower., sine idonea causa. 3) Erant qui pro postremis corrigerent posthumis vel posteris. Postremos duces dicere videtur belli duces vergentis reipublicae liberae. 4) sc. ut contra se pugnaturi in arenam descenderent. Pro et quos malim at quos. Edd. et Intt. loci rationem parum assecuti et corruptum eum esse arbitrati mirum in modum coniectandi libidini indulserunt. Singulas quas aut proposuerunt aut in tex-

Quid autem isti dii pro Romanis possunt, qui nihil pro suis adversus eorum arma valuerunt? Romanorum enim vernaculos deos novimus: Romulus, Picus, Tiberinus [1]) et Consus et Pilumnus ac *Picumnus* [2]) dii. Cloacinam Tatius et invenit et coluit, Pavorem Hostilius atque Pallorem, mox a nescio quo Febris dedicata; haec alumna urbis istius superstitio, morbi et malae valetudines. Sane et Acca Larentia [3]) et Flora meretrices propudiosae, inter morbos Romanorum et deos computandae. Isti scilicet adversus ceteros, qui in gentibus colebantur, Romanorum imperium protulerunt: neque enim eos adversum [4]) suos homines vel Mars Thracius vel Iuppiter Creticus vel Iuno nunc Argiva, nunc Samia, nunc Poena, vel Diana [5]) Taurica vel mater Idaea vel Aegyptia illa non numina sed portenta iuverunt. Nisi forte apud istos maior castitas virginum aut religio sanctior sacerdotum, cum [6]) paene in pluribus virginibus, *ut* quae inconsultius se viris miscuissent Vesta sane nesciente sit incestum vindicatum, in residuis inpunitatem fecerit, non castitas tutior, sed inpudicitia felicior [7]). Ubi autem magis a sacerdotibus, quam inter aras et delubra conducuntur [8]) stupra, tractantur lenocinia, adulteria meditantur? frequentius denique in aedituorum cellulis quam in ipsis lupanaribus flagrans libido defungitur. Et tamen ante eos Deo dispensante diu regna tenuerunt Assyrii, Medi, Persae, Graeci etiam et Aegyptii, cum Pontifices et Arvales et Salios et [9]) Vestales et Augu-

---

tum receperunt emendationes recensere piget. 1) Teverinus Codd. 2) pilumnus ac polumnus Codd. Edd. aliquot ac Volumnus praebent. De Picumno ac Pilumno v. Varro ap. Non. p. 528. Serv. ad Aen. IX, 4. et ad X, 76. Hartung Rel. d. Röm. II, 173 sqq. 3) Laurentia Codd. et edd. vett. 4) h. e. adversum eos. Praepositionis adversum postpositae exempla habes apud Rudimannum Gr. tom. II, p. 335. n. 34. ed. Stallbaum. 5) nunc Diana Codd. et magna pars edd. vitiose. 6) h. e. quamquam, cum tamen. — In seqq. pro et quae inconsultius, quod pleraque pars edd. cum Codd. praebet, cum aliis correxi ut quae incons. 7) Respicit sine dubio ad illud quod narrat Herodian. IV, 11., cum quo loco cf. Dion. Cass. LXXVII, p. 877., qui in quattuor tradit Vestales ab Antonino Severi filio fuisse animadversum. 8) condicuntur mg. Urs. prob. Davis. 9) et non comparet in vett. edd. — In seqq. non paucae edd. pro respublica summa praebent res summa, invitis Codd. Cf. I. Fr. Gronov. ad Liv. XXVI, 10.

res non haberent, nec pullos cavea reclusos, quorum cibo vel fastidio respublica summa regeretur.

26. Iam enim venio ad illa auspicia et auguria Romana, quae summo labore collecta testatus est [1]) et paenitenter omissa et observata feliciter. Clodius scilicet et Flaminius et Iunius ideo exercitus perdiderunt, quod pullorum sollemnissimum [2]) tripudium exspectandum non putaverunt. Quid Regulus? nonne auguria servavit et captus est? Mancinus religionem tenuit, et sub iugum missus est et deditus [3]). Pullos edaces habuit et Paulus apud Cannas, tamen cum maiore rei publicae parte prostratus est [4]). Caius Caesar ne ante brumam in Africam navigia transmitteret auguriis et auspiciis renitentibus sprevit; eo facilius et navigavit et vicit [5]). Quae vero et quanta de oraculis prosequar? Post mortem Amphiaraus ventura respondit, qui proditum iri se ob monile ac uxore nescivit [6]). Tiresias caecus futura videbat, qui praesentia non videbat. De Pyrrho Ennius Apollinis Pythi responsa confinxit [7]), cum iam Apollo versus facere desisset; cuius tunc cautum illud et ambiguum defecit oraculum, cum et politiores homines et minus creduli esse coeperunt. Et Demosthenes, quod sciret responsa simulata, φιλιππίζειν Pythiam querebatur [8]). At nonnumquam tamen veritatem vel auspicia vel oracula tetigere. Quamquam inter multa mendacia videri possit industriam casus imitatus, adgrediar tamen fontem ipsum erroris et pravitatis, unde omnis caligo ista manavit, et altius eruere et aperire manifestius. Spiritus sunt insinceri, vagi, a caelesti vigore terrenis labibus et cupiditatibus degravati [9]). Isti igitur spiritus posteaquam simplicitatem substantiae suae onusti et inmersi vitiis perdiderunt, ad solacium calamitatis suae non de-

---

1) sc. Caecilius. est Cod. ed. pr. et Herald. In cett. es. 2) Sic Codd. ed. pr. et al. paucae. In plerisque extat solistimum ex emend. Gelenii. — Cf. Cic. de Divin. II, 33. 3) Cf. Valer. Max. I, 6. 4) Cic. l. l. Flor. II, 6. 5) Cic. de Divin. II, 24. Sueton. Caes. c. 59. 77. 6) Sic Codd. et pleraque pars edd. In aliis extat proditus est ipse — nescius, vel proditum iri se — nescius. — De re cf. Serv. ad Aen. VI, 445. Schol. ad Sophocl. Electr. v. 840. Apollod. III, 6. Schol. Iuven. VI, 650. 7) Cic. de Divin. II, 56. Quinctilian. VII, 9. Aurel. Vict. de Ill. Vir. c. 35. 8) Cic. de Divin. II, 57. 9) Cf. Tertull. Apol. c. 22.

sinunt perditi iam perdere et depravati errorem pravitatis infundere et alienati a Deo inductis pravis religionibus a Deo segregare. Eos spiritus daemonas esse poetae sciunt, philosophi disserunt, Socrates novit, qui ad nutum et arbitrium adsidentis [1]) sibi daemonis vel declinabat negotia vel petebat [2]). Magi quoque non tantum sciunt daemonas, sed etiam quicquid miraculi ludunt, per daemonas faciunt; illis adspirantibus et infundentibus praestigias edunt [3]), vel quae non sunt videri vel quae sunt non videri. Eorum magorum et eloquio [4]) et negotio primus *Ostanes* et verum Deum merita maiestate prosequitur et angelos id est ministros et nuntios Dei, sed veri, eiusque [5]) venerationi novit adsistere, ut et nutu ipso et vultu domini territi contremescant [6]). Idem etiam daemonas prodidit terrenos, vagos, humanitatis inimicos. Quid Plato, qui invenire Deum negotium credidit, nonne et angelos sine negotio narrat et daemonas? et in Symposio [7]) etiam suo naturam daemonum exprimere connititur? vult enim esse substantiam inter mortalem inmortalemque, id est inter corpus et spiritum mediam, terreni ponderis et caelestis levitatis admixtione concretam, ex qua monet etiam nos *percipi* cupidinem [8]) amoris et dicit informari et labi [9]) pectoribus humanis et sensum movere et adfectus fingere et ardorem cupiditatis infundere.

27. Isti igitur impuri spiritus, daemones, ut osten-

1) παρέδρου. Euseb. H. E. IV, 7. Rufin. H. E. II, 13. Sulpic. Sever. Dial. III, 8. 2) Sic Codd. Quaedam edd. appetebat. 3) Cf. Lactant. II, 15. — Sequentia: vel quae — — non videri epexegesin continent voc. praestigias. 4) Pars edd. habet: Eorum et magorum eloquio ex emend. mg. Urs. — In seqq. pleraeque edd. Hostanes vel Hosthanes praebent ex emend. Gelenii, recte, quamvis invitis Codd., in quibus sosthenes extat. De Ostane celeberrimo antiquitatis mago v. Adr. Iun. Animadv. I, 7. Intt. ad Arnob. I, 7. et ad Apulei. de Magia c. 27. Harles. ad Fabric. Bibl. Gr. I, 14. §. 1. et inprimis Schmieder in libro: Geschichte d. Alchemie p. 37 sq. 5) eius venerationi mg. Urs. et inde aliquot edd. 6) Sic Cod. et ed. Muralt. In cett. contremiscant. 7) Plat. Sympos. p. 327. Cf. Maxim. Tyr. Diss. XXVII. 8) Sic correxi locum corruptissimum. Codd. monet etiam nos procupidinem Edd. aliae cum princ.: manare in nos procupidinem, aliae: movet etiam in nos procupidinem, aliae aliter habent. 9) et illabi ed. Bas. cum aliis nonnullis, sed invito Cod.

sum magis [1]), a philosophis et a Platone, sub statuis et imaginibus consecrati [2]) delitescunt et adflatu suo auctoritatem quasi praesentis numinis consequuntur, dum inspirantur interim vatibus, dum fanis inmorantur, dum nonnumquam extorum fibras animant, avium volatus gubernant, sortes regunt, oracula efficiunt, falsis pluribus involuta. Nam et falluntur et fallunt, ut et nescientes sinceram veritatem, et quam sciunt, in perditionem sui non confitentes. Sic a caelo deorsum gravant et a Deo vero ad materias [3]) avocant, vitam turbant, omnes [4]) inquietant, inrepentes etiam corporibus occulte ut spiritus tenues morbos fingunt, terrent mentes, membra distorquent, ut ad cultum sui cogant, ut nidore altarium vel hostiis pecudum saginati remissis [5]) quae constrinxerant curasse videantur. Hi sunt et furentes quos in publicum videtis excurrere, vates et ipsi absque templo, sic insaniunt, sic bacchantur, sic rotantur [6]); par et in illis instigatio daemonis, sed argumentum dispar furoris. De ipsis etiam illa quae paulo ante tibi dicta sunt, ut Iuppiter ludos repeteret ex somnio, ut cum equis Castores viderentur, ut cingulum matronae navicula sequeretur. Haec omnia sciunt *pleraque* [7]) pars vestrum ipsos daemonas de semetipsis confiteri, quotiens a nobis tormentis [8]) verborum et orationis incendiis de corporibus exiguntur. Ipse Saturnus et Serapis et Iuppiter et quicquid daemonum colitis victi dolore quot sunt eloquuntur, nec utique in turpitudinem sui, nonnullis praesertim vestrum adsistentibus, mentiuntur. Ipsis testibus esse eos daemonas de se verum confitentibus credite; adiurati enim per Deum verum et solum inviti miseri [9]) corporibus in-

1) Sic Codd. ed. pr. et Muralt. In cett.: a magis. 2) Aliquot edd.: consecratis ex Cypriano cum mg. Urs. — In seqq. pro delitescunt Hildebr. in Cod. legebat delitiscunt. 3) Pars edd. materiam habet, invito Cod. 4) Pleraque pars edd. ex mg. Urs. habet somnos inquietant, ut Cyprianus videtur legisse. Alii coniecerunt homines inqu. 5) Vett. aliquot edd. remissius habent vitiose. 6) Significat daemoniacos, qui ut vates in templis, in vicis et plateis insaniebant et rotabantur. Cf. Clement. Recogn. V, 13. et Homil. IX, 7. 7) Cod. Par. plerique pars vestrum habet. Recepi Davisii emendationem. Aliae edd.: plerique vestrum ex emend. Gelenii, et sic habet etiam Cod. Brux. 8) Sic Codd. Edd. nonnullae: a nobis et meritis verborum, aliae: a nobis et tormentis verborum praebent. 9) Sic Codd. et plurr. edd. Alii miseris receperunt ex emenda-

horrescunt et vel exiliunt statim vel evanescunt gradatim, prout fides patientis adiuvat aut gratia curantis adspirat. Sic Christianos de proximo fugitant, quos longe in coetibus per vos lacessebant. Ideo inserti mentibus imperitorum odium nostri serunt occulte per timorem. Naturale est enim et odisse quem timeas [1]), et quem metueris infestare si possis. Sic occupant animos et obstruunt pectora, ut ante nos incipiant homines odisse quam nosse, ne cognitos aut imitari possint aut damnare non possint.

28. Quam autem iniquum sit [2]) incognitis et inexploratis iudicare, quod facitis, nobis ipsis paenitentibus credite; et nos enim idem fuimus et eadem vobiscum quondam adhuc caeci et hebetes sentiebamus, quasi Christiani monstra colerent, infantes vorarent, convivia incesta miscerent, nec intellegebamus ab his [3]) fabulas istas semper ventilari et numquam vel investigari vel probari, nec tanto tempore aliquem existere qui proderet, non tantum facti veniam, verum etiam indicii gratiam consecuturum; malum autem adeo non esse, ut Christianus reus nec erubesceret nec timeret, et unum solummodo quod non ante fuerit paeniteret. Nos tamen cum sacrilegos aliquos et incestos, parricidas etiam defendendos et tuendos suscipiebamus, hos nec audiendos in totum putabamus, nonnumquam etiam miserantes eorum crudelius saeviebamus, ut torqueremus [4]) confitentes ad negandum, videlicet ne perirent, exercentes in his perversam quaestionem, non quae verum erueret, sed quae mendacium cogeret. Et si qui [5]) infirmior malo pressus et victus Christianum se negasset, favebamus ei, quasi eierato nomine iam omnia facta sua illa negatione purgaret. Adgnoscitisne eadem nos sensisse et egisse quae sentitis et geritis? cum si ratio, non instigatio daemonis iudicaret, urguendi [6]) magis, non ut diffiterentur se Christianos, sed ut de incestis, stupris, de impiatis sacris, de

tione Gelenii, quae placet. In seqq. pro inhorrescunt male in quibusdam edd. extat inhaerescunt. 1) timens Cod. Par. timeas Cod. Brux. times edd. vett.

2) Edd. vett. Quantum autem vitium sit, invitis Codd.— In seqq. quaedam edd. de incognitis et praebent, Meurs. cj. in incognitis, sed emendatione non opus est. 3) sc. rumigerulis. 4) Sic Codd. Edd. vett. urgeremus praebent. 5) Sic Cod. et ed. Muralt. In cett. si quis. 6) Pars edd. vett. ar-

infantibus immolatis faterentur. His enim et huiusmodi fabulis idem daemones ad execrationis horrorem imperitorum aures adversus nos referserunt. Nec tamen mirum; *tum* omnium [1]) fama, quae semper insparsis mendaciis alitur, ostensa veritate consumitur. Sic est negotium daemonum; ab ipsis enim rumor falsus et seritur et fovetur. Inde est quod audire te dicis caput asini rem nobis esse divinam. Quis tam stultus ut hoc colat? quis stultior ut hoc coli credat? nisi quod vos et totos asinos in stabulis cum vestra vel Epona [2]) consecratis et eosdem asinos cum Iside religiose *decoratis* [3]), item boum capita et capita vervecum et immolatis et colitis, de capro etiam et homine mixtos deos, et leonum et canum vultus deos dedicatis [4]). Nonne et Apim bovem cum Aegyptiis adoratis et pascitis? nec eorum sacra damnatis instituta serpentibus, crocodilis, beluis ceteris et avibus et piscibus, quorum aliquem deum si quis occiderit, etiam capite punitur. Idem Aegyptii cum plerisque vobiscum non magis [5]) Isidem, quam ceparum

---

guendi praeter Codd. auctoritatem. 1) Ita emendavi. Pleraeque edd. cum Codd. cum omnium, aliae ex emend. Rigaltii cum hominum praebent. I. Fr. Gronov. in Observv. in Eccles. Scriptt. c. 7. emendat: mirum, cum hominum fama, quae s. i. m. a., o. v. c., sit et negotium daemonum: ab ipsis sqq. — 2) Sic in Codd. scriptum est. vel particula significat etiam, ut saepissime. Inridet quod ethnici calumniatores ipsi in tantum progressi sint, ut iumentorum vel propriam deam, Eponam, consecrarent. Pars edd. vestra vel Hippona, aliae vestra Hippona aliae vestra Epona, aliae vestra vel sua Epona praebent. Vesta vel Epona cj. Iac. Gronov. (cf. Lactant. I, 21.). Ipse olim cj. cum vestra vili Epona, quod hodie displicet. De Epona cf. Tertull. adv. Nat. I, 11. Hartung Rel. d. Röm. II, 154. 3) Codd. habent devoratis, sub quo verbo mendum latere interpretes et editores bene intellexerunt. Neque enim puto eam lectionem posse defendi et explicari ex loco Plutarchi de Iside p. 362., ubi traditur, Aegyptios in sacrificiis, quae mensibus Payni et Phaophi peragebant, placentas coquere solitos esse, quae pro insigni asinum vinctum inpressum habuissent. Quare recepi Rigaltii emendationem decoratis. Neque enim absurdum est opinari asinos illos Isidis sive Cybeles gerulos aliqua nobiliori stratura cum Isidi fuisse decoratos. V. Apulei. Met. XI, p. 765. ibique Hildebr. et p. 770., et Schmidt in Diss. de Sacerdot. et Sacrif. Aegypt. (Tubing. 1768.) p. 283 sqq. — Edd. pars devoratis, pars decoratis, aliae devotatis habent. 4) Significat Aegyptiorum deos monstrosos et Mithrae imagines. 5) Vett. edd. vobis non magis invitis Codd. — De re adeundi sunt Intt. Iuven. Sat. XV, 9. —

acrimonias metuunt nec Serapidem magis quam strepitus[1]) per pudenda corporis expressos contremescunt. Etiam ille qui de adoratis sacerdotis virilibus adversum nos fabulatur, temptat in nos conferre quae sua sunt. Ista enim inpudicitiae eorum forsitan sacra sint, apud quos sexus omnis membris omnibus prostat, apud quos tota inpudicitia vocatur urbanitas, qui scortorum licentiae invident, qui medios viros lambunt, libidinoso ore inguinibus inhaerescunt, homines malae linguae etiam si tacerent, quos prius taedescit impudicitiae suae, quam pudescit. Pro nefas! id in se mali facinoris[2]) admittunt, quod nec aetas potest pati mollior nec cogi[3]) servitus durior.

29. Haec et huiusmodi propudia nobis non licet nec audire; etiam pluribus turpe defendere est. Ea enim de castis fingitis et pudicis, quae fieri non crederemus, nisi de vobis probaretis. Nam quod religioni nostrae hominem noxium et crucem eius adscribitis, longe de vicinia veritatis erratis, qui putatis Deum credi aut meruisse noxium aut potuisse terrenum. *Nae*[4]) ille miserabilis, cuius in homine mortali spes omnis innititur; totum enim eius auxilium cum extincto homine finitur. Aegyptii sane[5]) hominem sibi quem colant eligunt; illum unum propitiant, illum de omnibus consulunt, illi victimas caedunt, et ille qui ceteris deus, sibi certe homo est, velit nolit: nec enim conscientiam suam decipit, si fallit alienam. Etiam principibus et regibus, non ut magnis et electis viris, sicut fas est, sed ut *deis*[6]), turpiter adulatio falsa blanditur, cum et praeclaro viro honor verius et optimo amor dulcius praebeatur. Sic eorum numen vocant[7]), ad imagines supplicant, genium, id est daemonem eius, implorant, et est eis tutius per Iovis genium peierare quam regis. Cruces etiam

---

1) crepitus mg. Urs. et inde aliquot edd. In seqq. pro contremiscunt vett. edd. extremiscunt praebent. Dedi cum Cod. contremescunt. — De re v. Coteler. ad Clement. Recognit. V, 20. 2) Pars edd. cum pr. id in se pessimi facinoris praebent. Sed in Codd. mali facinoris extat. 3) sc. ad patiendum. —

4) nec Cod. 5) Aegyptii Saitae cj. Iac. Gronov. praeter necessitatem. De re v. Porphyr. περὶ Ἀποχῆς IV, 9. Euseb. Praep. Evang. III, 4. 12. Clement. Homil. XI, 6. et VI, 23., ubi v. Coteler. 6) de eis Cod. vitiose. 7) Edd. vett. invocant

nec colimus nec optamus. Vos plane qui ligneos deos consecratis, cruces ligneas ut deorum vestrum partes forsitan adoratis. Nam et signa ipsa et cantabra et vexilla castrorum quid aliud quam inauratae cruces sunt et ornatae? Tropaea vestra victricia non tantum simplicis crucis faciem, verum et adfixi hominis imitantur. Signum sane crucis naturaliter visimus in navi, cum velis tumentibus vehitur, cum expansis palmulis labitur; et cum erigitur iugum, crucis signum est, et cum homo porrectis manibus Deum pura mente veneratur [1]). Ita signo crucis aut ratio naturalis innititur aut vestra religio formatur.

30. Illum iam velim convenire, qui initiari nos dicit aut credit de caede infantis et sanguine. Putas posse fieri, ut tam molle, tam parvulum corpus fata vulnerum capiat? ut quisquam illum rudem sanguinem novelli et vixdum hominis caedat, fundat, exhauriat? Nemo hoc potest credere, nisi qui possit audere. Vos enim video procreatos filios nunc feris et avibus exponere, nunc adstrangulatos [2]) misero mortis genere elidere: sunt quae in ipsis visceribus medicaminibus epotis [3]) originem futuri hominis extinguant et parricidium faciant antequam pariant. Et haec utique de deorum vestrorum disciplina descendunt. Nam Saturnus filios suos non exposuit, sed voravit. Merito *ei* [4]) in nonnullis Africae partibus a parentibus infantes immolabantur, blanditiis et osculo comprimente vagitum, ne flebilis hostia immoletur [5]). Tauris etiam Ponticis [6]) et Aegyptio Busiridi ritus fuit hospites immolare, et Mercurio Gallos [7]) humanas vel inhumanas victimas caedere: Romani Graecum et Graecam, Gallum et Gallam sacrifici [8])

---

habent ex Gelenii emendat. prob. Davisio. 1) Repetita sunt haec ex Tertull. Apol. c. 16. et adv. Nat. I, 12. et ex Iust. Mart. Apol. I, 72.
2) adstragutos ed. Bas. mendose. 3) et potis Codd. mendose. 4) merito et Codd. et ed. pr. 5) Cf. Tertull. Apol. c. 9. Plato Polit. p. 315. Hieron. in Esaiam XIII, 46. Sext. Empir. Hypotyp. III, 24. 6) Hygin. Fab. 120. 122. Valer. Flacc. Argon. II, 301. 7) Lucan. I, 144. Lactant. Div. Inst. I, 21. Wopkens et Yonck pro Gallos cj. Gallis. 8) Ita edd. vett. et aliae nonnullae; recte quidem. Sacrifici idem atque sacrificantes. Codd. sacrificii praebent, quem genitivum Davis. necquicquam studet tueri per omissionem voc. „causâ". Cett. editorum pars correxit sacrificio, alii sacrificiis. Iac. Gronov. sacri vice, Yonck et Wopkens cj. in sacrificiis. — De ipsa re v. Liv. XXII, 57.

viventes obruere, hodieque ab ipsis Latiaris Iuppiter homicidio colitur, et quod Saturni filio dignum est, mali et noxii hominis sanguine saginatur [1]). Ipsum credo docuisse sanguinis foedere [2]) coniurare Catilinam, et Bellonam sacrum [3]) suum haustu humani cruoris imbuere, et comitialem morbum hominis sanguine id est morbo graviore sanare [4]). Non dissimiles et qui de arena feras devorant inlitas et infectas [5]) cruore vel membris hominis et viscere saginatas. Nobis homicidium nec videre fas nec audire [6]), tantumque ab humano sanguine cavemus, ut nec edulium pecorum [7]) in cibis sanguinem noverimus.

31. Et de incesto convivio fabulam grandem adversum nos daemonum *coitio* [8]) mentita est, ut gloriam pudicitiae deformis infamiae aversione macularet, ut ante exploratam veritatem homines a nobis terrore infandae opinionis averteret. Sic de isto et tuus Fronto, non ut affirmator testimonium fecit, sed convicium ut orator aspersit. Haec enim potius de vestris gentibus nata sunt. Ius est apud Persas misceri cum matribus [9]), Aegyptiis et Athenis [10]) cum sororibus legitima connubia, memoriae et tragoediae vestrae incestis gloriantur, quas vos libenter et legitis et auditis: sic et deos [11]) colitis incestos, cum matre, cum filia, cum sorore coniunctos [12]). Merito igitur incestum penes vos saepe deprehenditur, semper admittitur; etiam nescientes, miseri, potestis in inlicita proruere: dum

---

ibique Intt. 1) Lact. I, 21. Prudent. adv. Symm. I, 397. — 2) Sallust. Catil. c. 22. Flor. IV, 1. 3) h. e. sacratum. cf. Virg. Aen. VI, 484. ibique Serv. Prudent. Perist. XI, 2. servum pro sacrum extat in vett. edd. De Bellonariis cf. supra c. 24. Lactant. I, 21. Horat. Sat. II, 2, 223. Lamprid. Commod. c. 9. (tom. I, p. 497.) Tertull. Apol. c. 9. et ibi Intt. Hartung Relig. d. Röm. II, 154. 4) Lactant. VI, 20. Tertull. Apol. c. 9. Plin. H. N. XXVIII, 1. Arataeus Cappad. IV, 175. Cornel. Cels. de Re Med. III, 23. 5) infactas Cod. teste Hildebr. 6) Lact. Inst. Div. VI, 20. et in Epit. c. 4. 7) Tertull. Apol. c. 9. Euseb. H. E. V, 1. Cf. Steph. Curcellaeum de Esu Sanguinis c. 13. —

8) cotio Codd. contio edd. vett. 9) Tertull. Apol. c. 9. Diog. Laert. IX, §. 83. Lucian. de Sacrif. tom. I, p. 364. Clement. Recogn. IX, 20. 10) Correxerunt quidam Aegyptiis et Atheniensibus vel Aegypti et Athenis. — De re cf. Diod. Sic. I, 27. Paus. Att. c. 7. Muret. V. L. XV, 5. 11) auditis et sic deos habet pars vett. edd. sed praeter Codd. auctoritatem. 12) Cf. Clem. Alex. Protr. p. 8. Tatian. Or. c. Gr. c. 13 et 16. Arnob.

Venerem promisce [1]) spargitis, dum passim liberos seritis, dum etiam domi natos alienae misericordiae frequenter exponitis [2]), necesse est in vestros recurrere, in filios [3]) inerrare. Sic incesti fabulam nectitis, etiam cum conscientiam non habetis. At nos pudorem non facie, sed mente praestamus: unius matrimonii vinculo libenter inhaeremus [4]), cupiditate procreandi aut unam scimus aut nullam, convivia non tantum pudica colimus, sed et sobria; nec enim indulgemus epulis aut convivium mero ducimus, sed gravitate hilaritatem temperamus; casto sermone, corpore castiore plerique involati corporis virginitate perpetua fruuntur potius, quam gloriantur: tantum denique abest incesti cupido, ut nonnullis rubori sit etiam pudica coniunctio. Nec de ultima statim plebe consistimus, si honores vestros et purpuras recusamus, nec fastidiosi [5]) sumus, si omnes unum bonum sapimus eadem congregati quiete qua singuli, nec in angulis garruli, si audire nos publice aut erubescitis aut timetis. Et quod in dies nostri numerus augetur, non est crimen erroris, sed testimonium laudis; nam in pulcro genere vivendi et *perstat* [6]) et perseverat suus et adcrescit alienus. Sic nos denique non notaculo [7]) corporis, ut putatis, sed innocentiae ac modestiae signo facile dinoscimus [8]): sic mutuo, quod doletis, amore diligimus, quoniam odisse non novimus: sic nos, quod invidetis, fratres vocamus, ut unius Dei parentis homines, ut consortes fidei,

---

V, 20 sqq. 1) Sic Cod. non promiscue, ut fere edd. praebent. — 2) Tertull. Apol. c. 9. Lactant. V, 9. VI, 20. Arist. Polit. VII, 17. Aelian. V. H. II, 7. 3) filias cj. Perizon. Male. Cf. Tertull. Apol. c. 9. Arnob. IV, 16.: „ex capite conceptos filios procreat", ubi de Minerva loquitur. Iavolen. Digg. Lib. L. Tit. XVI, 84.: „Filii appellatione omnes liberos intelligimus". 4) V. quae suppeditat Coteler. ad Hermae Pastor. II, Mand. IV, §. 4. et I. Gruter. ad Publ. Syr. v. 797. In seqq. plurr. pars edd. cum Codd. cupiditate habet. Magis tamen cum Davis. aliisque probaverim Heraldi emendationem cupiditatem. 5) Sic Codd. et magna pars edd. In cett. factiosi, ex emend. Heraldi, quae nuperrime placuit etiam Hildebr. ad Apul. I, p. 346. — In seqq. voc. bonum inducunt aliquot edd. cum mg. Urs. 6) praestat Cod. cum parte edd. sed vitiose. 7) nota occulta mg. Urs. notacula emendat Hildebr. ad Apulei. I, p. 346. praeter necessitatem. 8) Ita in Cod. legebant Muralt. et Hildebr., sed Crusius in eo reperiebat dinoscimur, quod fortasse reponendum erat. At illud etiam omnes edd. retinent.

ut spei coheredes. Vos enim nec invicem agnoscitis, et in mutua odia saevitis, nec fratres vos, nisi sane ad parricidium recognoscitis.

32. Putatis autem nos occultare quod colimus, si delubra et aras non habemus? Quod enim simulacrum Deo fingam, cum si recte existimes sit Dei homo ipse simulacrum? templum quod ei exstruam, cum totus hic mundus eius opere fabricatus eum capere non possit? et cum homo latius maneam [1]), intra unam aediculam vim tantae maiestatis includam? Nonne melius in nostra dedicandus est mente? in nostro immo consecrandus est pectore? Hostias, et victimas domino [2]) offeram, quas in usum mei protulit, ut reiiciam ei suum munus? ingratum est; cum sit litabilis hostia bonus animus et pura mens et sincera sententia [3]). Igitur qui innocentiam colit, Deo [4]) supplicat, qui iustitiam, Deo libat: qui fraudibus abstinet, propitiat Deum: qui hominem periculo subripit, optimam [5]) victimam caedit. Haec nostra sacrificia, haec Dei sacra sunt: sic apud nos religiosior est ille qui iustior. At enim quem colimus Deum, nec ostendimus nec videmus. Immo ex hoc Deum credimus, quod eum sentire possumus, videre non possumus; in operibus enim eius et in mundi omnibus motibus virtutem eius semper praesentem aspicimus, cum tonat, fulgurat, fulminat, cum serenat. Nec mireris [6]), si Deum non vides [7]); vento et flatibus omnia impelluntur, vibrantur, agitantur, et sub oculis tamen non venit ventus et flatus. In sole [8]) adeo, qui videndi omnibus causa est, videre non possumus, radiis acies submovetur, obtutus intuentis hebetatur, et si diutius inspicias, omnis visus extinguitur. Quid [9])? ipsum solis artificem, illum luminis fontem possis sustinere, cum te ab eius fulgoribus avertas, a fulminibus abscondas? Deum oculis carnalibus vis videre, cum ipsam animam tuam,

---

1) h. e. habitem. Aliquot antiquiorum editionum pro latius praebent laxius ex emend. mg. Urs. 2) Hild. in Cod. legebat deo. 3) Sic Codd. et pars edd. In cett. conscientia ex emend. mg. Urs. 4) deo Cod. Br. do (h. e. deo) Cod. Par. Omnes edd. praeter Muralt. domino habent. 5) Sic Codd. et pars edd. In aliis non paucis opimam extat ex emend. Gelenii. 6) mereris Cod. teste Crus. et Hild. 7) Sic Codd. et plurr. edd. In aliis videas. 8) Sic Codd. et plurr. edd. Alii cum Gelenio reposuerunt flatus. Solem, prob. Passeratio. 9) Qui

qua vivificaris et loqueris, nec aspicere possis nec tenere [1])? Sed enim Deus actum hominis ignorat, et in caelo constitutus non potest aut omnes obire aut singulos nosse. Erras o homo et falleris; unde enim Deus longe est, cum omnia caelestia terrenaque et quae extra istam orbis provinciam sunt Deo cognita, plena [2]) sint? ubique non tantum nobis proximus, sed infusus est. In solem [3]) adeo rursus intende: caelo adfixus, sed terris omnibus sparsus est; pariter praesens ubique interest et miscetur omnibus, nusquam *eius* [4]) claritudo violatur. Quanto magis Deus auctor omnium ac speculator omnium, a quo nullum potest esse secretum, tenebris interest, interest cogitationibus nostris, quasi alteris tenebris? Non tantum sub illo agimus, sed et cum [5]) illo, ut prope dixerim, vivimus.

33. Nec nobis de nostra frequentia blandiamur; multi nobis videmur, sed Deo admodum pauci sumus. Nos gentes nationesque distinguimus: Deo una domus est mundus hic totus. Reges tantum [6]) regni sui per officia ministrorum universa novere: Deo indiciis opus non est. Non *solum in* oculis [7]) eius, sed et in sinu vivimus. Sed Iudaeis nihil profuit quod unum et ipsi Deum aris atque templis maxima superstitione coluerunt. Ignorantia laberis, si priorum aut oblitus aut inscius posteriorum recordaris. Nam et ipsi Deum nostrum, idem enim omnium Deus est, quamdiu *(eum)* caste [8]), innoxie, religioseque coluerunt, quamdiu praeceptis salubribus obtemperaverunt, de paucis innumeri facti, de egentibus divites, de servientibus reges; modici

---

mg. Urs. et cett. edd. paucae. 1) tueri emendatum extat in mg. Urs., et inde in aliquot aliis edd. 2) „Eleganter (?) eadem vox in uno membro dativi in altero ablativi est casus.“ Wopkens. Lectt. Tull. II, 17. p. 231. Meurs. cj. cognita plene, et Wower.: Deo cuncta plena, id quod extat in aliis quibusdam edd. 3) sole extat in Cod. Par. teste Crusio, et ita habet ed. pr. cum aliis nonnullis. 4) numquam enim Cod. Br. teste Muralt. nusquam eī (h. e. enim) Cod. Par. teste Crus. nusquam enim omnes edd. praeter Muralt., quam nos secuti sumus. 5) Sic Codd. et plurr. edd. Vett. edd. et particulam ante cum non habent, et in seqq. Lindnerus in sua induxit ut particulam.

6) tam̄ Cod. 7) Non in solum oculis Cod. unde emendaverim: Non enim solum oculis, sed nolui a vulg. recedere. — In seqq. particula et in Cod. erasum conspicitur. 8) quamdiu enim (eī) caste Codd. quamdiu eum caste cj. Davis.

multos, inermi armatos dum fugiunt insequentes Dei iussu et elementis adnitentibus obruerunt. Scripta eorum relege, vel si Romanis magis gaudes, ut transeamus veteres, Flavi Iosephi vel Antonii Iuliani [1]) de Iudaeis require: iam scies nequitia sua hanc eos meruisse fortunam, nec quidquam accidisse, quod non sit his, si in contumacia perseverarent, ante praedictum. Ita prius eos deseruisse conprehendes quam esse desertos, nec, ut impie loqueris, cum Deo suo captos [2]), sed a Deo, ut disciplinae transfugas, deditos.

34. Ceterum de incendio mundi aut inprovisum ignem cadere aut *dissici illo* [3]) non credere vulgaris erroris est. Quis enim sapientium dubitat, quis ignorat omnia quae orta sunt occidere, quae facta sunt interire? Caelum quoque cum omnibus, quae caelo continentur, ita ut coepisse, desinere, *desinere* fontium dulcis *aquas*, maria nutrire [4]), in vim ignis abiturum, Stoicis constans opinio est, quod consumpto humore mundus hic omnis ignescat. Et Epicureis de elementorum conflagratione et mundi ruina

---

quod recepi. In cett. edd. particula enim inducta est. 1) Scriptum erat antea in Cod. Antonini, sed erasa est *n* littera. Quod Flavium Iosephum Romanis scriptoribus accenset non est urgendum, si quidem ille Romae degebat Romanisque scribebat. Itaque refutandus Davis., qui verba Flavi Iosephi vel ex margine in textum irrepsisse putat. De Antonio Iuliano non constat. Eius nominis quemdam rhetorem, Hispanum natione, laudat Gell. N. A. I, 4. 2) Sic Cod. test. Crus. et Muralto, sed Hildebr. in eo legebat suo et captos. Edd. pars cum nobis faciunt, pars cum ed. pr. praebent suo esse captos. —

3) sc. igne mundum. ignem cadere aut difficile non credere Codd. quod correxi. Edd. vett. cadere aut difficilem, non credere, sequentium pars ignem credere aut difficile non cadere habet, pars cum Codd. facit. Iac. Gronov. pro difficile cj. dissilire. — De verbo dissicere innumeris locis in vett. scriptis obliterato v. Priscian. XIV, p. 1002. Cf. Pareus in Lex. Crit. Forcell. in Lex. — In seqq. pro erroris Cod. Br. error praebet. 4) coepisse desinere fontium dulcis aquam maria nutrire Codd. quod emendavi. Vett. edd. cum ed. pr.: coepisset, desinere? Fontium dulci aqua marisve nutriri, sequentes: coepisse, desinere? Font. dulces aquas maria nutrire fere habent. coepisse, desinere? Desinere fontium dulci aqua maria nutriri cj. Orell. De Stoicorum dogmate de mundi conflagratione v. Lips. Physiol. Stoic. II, diss. 22. et quae suppeditant Intt. ad Cic. N. D. II, 46.

eadem ipsa sententia est 1). Loquitur Plato: partes orbis nunc inundare dicit 2), nunc alternis vicibus ardescere, et cum ipsum mundum perpetuum et insolubilem 3) diceret esse fabricatum, addit tamen, ipsi artifici Deo soli et solubilem et esse mortalem. Ita nihil mirum est, si ista moles ab eo, quo exstructa est, destruatur. Animadvertis philosophos eadem disputare quae dicimus, non quod nos simus eorum vestigia subsecuti, sed quod illi de divinis praedicationibus 4) prophetarum umbram interpolatae veritatis imitati sint. Sic etiam condicionem renascendi sapientium clariores, Pythagoras primus 5) et praecipuus Plato 6), corrupta et dimidiata fide tradiderunt; nam corporibus dissolutis solas animas volunt et perpetuo manere et in alia nova corpora saepius commeare. Addunt istis et illa ad retorquendam 7) veritatem, in pecudes, aves, beluas hominum animas redire. Non philosophi sane studio, sed *mimi convitio* 8) digna ista sententia est. Sed ad propositum satis est etiam in hoc sapientes vestros in aliquem modum nobiscum consonare. Ceterum quis tam stultus aut brutus est, ut audeat repugnare hominem a Deo ut primum potuisse fingi 9), ita posse denuo reformari? nihil esse post obitum et ante ortum nihil fuisse 10)? sicut de nihilo nasci licuit, ita de nihilo licere reparari 11)? Porro difficilius est id quod non sit incipere, quam id quod fuerit iterare. Tu perire et 12) Deo credis, si quid oculis no-

---

1) Lucret. V, 381 sqq. Philo Iud. περὶ Ἀφθαρσίας Κόσμου p. 728. 2) dicit deletum in nonnullis edd. ex emend. mg. Urs., propter praegressum loquitur. De re v. Plat. Tim. p. 524. Cf. Clem. Alex. Strom. V, p. 401. 3) solubilem edd. aliquot ex correct. Wowerii. De re cf. Philon. Iud. l. l. p. 728. (ed. Genev.) 4) Sic Codd. et plurr. edd. Edd. vett. praedictionibus habent. 5) Idem testantur Maxim. Tyr. Dissert. XVI, c. 2. (tom. I, p. 287. ed. Reiske) Porphyr. Vit. Pythag. §. 19. p. 188. Hieronym. in Rufin. III, p. 557. ed. Victor. At Cic. Tusc. I, 16. (ubi v. Intt.) Lactant. VII, 7, 8. Augustin. c. Acad. III, p. 314. et Epist. tom. II, p. 8. Pherecydem huius dogmatis auctorem statuunt. 6) Plat. Republ. X, p. 620. Cf. Nemes. π. Α. Φ. c. 2. Hieronym. adv. Rufin. Apol. c. 10. 7) Ediderunt quidam cum Gelenio detorquendam. 8) mimico vitio Codd. et plurr. edd. mimi officio habet Geleniana cum aliis nonnullis. In aliis mimi convitio ex emend. mg. Urs. 9) In aliis paucis potuit fingi extat, invito Cod. 10) Cf. Tertull. Apol. c. 48. et de Resurr. Carnis c. 18. 11) Cf. Constit. Apost. V, 7. Tertull. Apol. l. l. Prudent. in Symm. II, 194. 12) et abest in edd. aliquot ex emend. mg. Urs.

stris hebetibus subtrahitur? Corpus omne sive arescit in pulverem, sive in humorem solvitur, vel in cinerem comprimitur, vel in nidorem tenuatur, subducitur nobis, sed Deo elementorum custodia [1]) reservatur. Nec, ut creditis, ullum damnum sepulturae timemus, sed veterem et meliorem consuetudinem humandi [2]) frequentamus. Vide adeo quam in solacium nostri resurrectionem futuram omnis natura meditetur. Sol demergit et nascitur, astra labuntur et redeunt, flores occidunt et revivescunt, post senium arbusta frondescunt, semina nonnisi corrupta revirescunt [3]): ita corpus in saeculo, ut arbores in hiberno occultant virorem ariditate mentita. Quid festinas, ut cruda adhuc hieme revivescat [4]) et redeat? exspectandum nobis etiam corporis ver est. Nec ignoro plerosque conscientia meritorum nihil se esse post mortem magis optare quam credere; malunt enim exstingui penitus quam ad supplicia reparari [5]). Quorum error augetur et in saeculo [6]) libertate remissa et Dei patientia maxima, cuius quanto iudicium tardum, tanto magis iustum est.

35. Et tamen admonentur homines [7]) doctissimorum libris et carminibus poetarum illius ignei fluminis et de Stygia palude saepius ambientis [8]) ardoris, quae cruciatibus aeternis praeparata et daemonum indiciis et de oraculis prophetarum cognita tradiderunt. Et ideo apud eos etiam ipse rex Iuppiter per torrentes ripas et atram voraginem iurat religiose; destinatam enim sibi cum suis cultoribus poenam praescius perhorrescit. Nec tormentis aut modus ullus aut terminus. Illic sapiens [9]) ignis membra urit et reficit,

---

1) Pars edd. custodi ex emend. Wowerii. 2) Cic. de Legg. II, 22. Cf. Plin. H. N. VII, 54. Lactant. VI, 12. August. C. D. I, 12 et 13. 3) Cf. Paul. Ep. ad Corinth. I, 15, 36. Clem. Rom. Ep. I, 24. Tertull. Apol. c. 48. et de Resurr. Carn. c. 12. Ambros. Hexaem. III, 8. 4) Sic Cod., uti supra revivescunt, test. Crus. et Hild. In edd. extat reviviscunt. 5) Hierocl. in Pythag. Aur. Carm. p. 164. Constit. Apost. VI, 26. Clem. Homil. XI, 11. p. 694. 6) Edd. aliquot augetur in saeculo et ex correct. Wowerii. —

7) hominum edd. aliquot cum Gelenio, sed invitt. Codd. 8) Plat. Phaed. p. 44. Hom. Od. X, 513. Virg. Aen. VI, 438. et Georg. IV, 478 sqq. 9) πῦρ σωφρονοῦν dicit Clem. Alex. Protr. p. 35. Cf. Tertull. adv. Gnost. c. 3. Hieron. in Daniel. c. 3. fol. 503. Paulin. Ep. ad Sever. 9. Hinc perperam Meurs. rapiens

carpit et nutrit. Sicut ignes fulminum corpora tangunt nec absumunt, sicut ignes Aetnaei montis et Vesui montis [1]) et ardentium ubique terrarum flagrant nec erogantur: ita poenale illud incendium non damnis ardentium pascitur, sed inexesa corporum laceratione nutritur. Eos autem merito torqueri qui Deum nesciunt, ut impios, ut iniustos, nisi profanus nemo deliberat, cum parentem omnium et omnium dominum non minoris sceleris sit ignorare quam laedere. Et quamquam inperitia Dei sufficiat ad poenam, ita ut notitia prosit ad veniam, tamen si vobiscum Christiani comparemur, quamvis in nonnullis disciplina nostra minor est, multo tamen vobis meliores deprehendemur. Vos enim adulteria prohibetis et facitis, nos uxoribus nostris solummodo viri nascimur [2]): vos scelera admissa punitis, apud nos et cogitare peccare est: vos conscios timetis, nos etiam conscientiam solam, sine qua esse non possumus: denique de vestro numero carcer exaestuat, Christianus ibi nullus nisi aut reus suae religionis aut profugus [3]).

36. Nec de fato quisquam aut solacium captet aut excuset eventum; sit *Fortis* Fortunae [4]), mens tamen libera est, et ideo actus hominis, non dignitas iudicatur. Quid enim aliud est fatum, quam quod de unoquoque nostrum Deus fatus [5]) est? qui cum possit praescire materiam, pro meritis et qualitatibus singulorum etiam fata determinat. Ita in nobis non genitura plectitur, sed ingenii natura punitur. Ac de fato satis, vel si pauca pro tempore, disputaturi alias et *uberius* [6]) et plenius. Ceterum quod pleri-

---

Memm. sepiens emendari voluerunt. 1) hennei montis et Iesui montis Cod. quod correxi. Edd. pars Aetnae et Vesuvii montis, pars Aetnae montis et Vesuvii montis, aliae Aetnae et Vesuvii habent. 2) noscimur. Wower. cum aliis; male. — Cf. Tertull. Apol. c. 46. 3) Cf. Tertull. Apol. c. 44. et ad Scap. 2. Lactant. V, 9.

4) sc. eventus. — sit sortis fortunae Cod. cum edd., quae tamen variant distinguendo aut: excuset, eventum sit s. F. aut: excuset eventum, sit s. F. Equidem recepi emend. mg. Urs. sint fortis f. cj. Meurs. sint sortis f. cj. Lindner. sint sortes f. cj. Iac. Gronov. aut se excuset. Ev. sit sortis f. cj. Davis. 5) fatum ed. pr. et Cod. test. Crus. et Hild. fatu Cod. teste Muralt. 6) et verius Cod. et vett. edd. uberius primum emendavit Rigalt. Similiter supra c. 21. Cod. veribus praebebat pro uberibus. — Ceterum Hieronym. in lib. de Illustr. Vir.

que pauperes dicimur, non est infamia nostra, sed gloria; animus enim ut luxu solvitur, ita frugalitate firmatur. Et tamen quis[1]) potest pauper esse qui non eget, qui non inhiat alieno, qui Deo dives est? Magis pauper ille est qui cum multa habeat, plura desiderat. Dicam tamen[2]) quemadmodum sentio: nemo tam pauper potest esse, quam natus est. Aves sine patrimonio vivunt et in diem *pecua*[3]) pascuntur; et haec nobis tamen nata sunt, quae omnia si non concupiscimus, possidemus. Igitur ut qui viam terit, eo felicior quo levior incedit, ita beatior in hoc itinere vivendi qui paupertate se sublevat, non sub divitiarum onere suspirat. Et tamen facultates si utiles putaremus, a Deo posceremus; utique indulgere posset aliquantum, cuius est totum: sed nos contemnere malumus opes quam continere[4]), innocentiam magis cupimus, magis patientiam flagitamus, malumus nos bonos esse quam prodigos, et quod corporis humana vitia sentimus et patimur, non est poena, militia est. Fortitudo enim infirmitatibus roboratur et calamitas saepius disciplina virtutis est; vires denique et mentis et corporis sine laboris exercitatione torpescunt; omnes adeo vestri viri fortes, quos in exemplum praedicatis, aerumnis suis inclyti floruerunt. Itaque et nobis Deus nec non potest subvenire nec despicit, cum sit et omnium rector et amator suorum: sed in adversis unumquemque explorat et examinat, ingenium singulorum periculis pensitat, usque ad extremam mortem voluntatem hominis sciscitatur, nihil sibi posse perire securus. Itaque ut aurum ignibus, sic nos discriminibus arguimur.

37. Quam pulchrum spectaculum Deo, cum Christianus cum dolore congreditur! cum adversum minas et supplicia et tormenta componitur! cum strepitum mortis et horrorem carnificis *arripiens* inculcat[5])! cum libertatem

---

c. 58. memorat sub Minucii nomine librum de Fato seu contra Mathematicos suo tempore circumlatum esse, „qui libellus quamquam ipse diserti sit hominis, tamen non videatur cum Octavii libri stilo satis convenire." 1) qui edd. quaedam, sed paucae. 2) Sic Codd. et ed. Muralt. In cett. omnibus tandem. 3) patua Cod. teste Hild. Crus. et Muralt. pascua legisse in eo videntur, ut habent edd. vett. et recentiorum aliquot. In cett. pecua ex emend. mg. Urs. 4) Malim contendere, vel potius contingere. — 5) inripiens inculcat Codd. et pars edd. In cett. inri-

suam adversus reges et principes erigit, soli Deo, cuius est, cedit! cum triumphator et victor ipsi, qui adversum se sententiam dixit, *insultat*[1])! Vicit enim qui quod contendit obtinuit. Quis non miles sub oculis imperatoris audacius periculum provocet? Nemo enim praemium percipit ante experimentum; et imperator tamen quod non habet non dat; non potest propagare vitam, potest honestare militiam. At enim Dei miles nec in dolore deseritur nec morte finitur. Sic Christianus miser videri potest, non potest inveniri. Vos ipsi calamitosos viros fertis ad caelum, Mucium Scaevolam, qui cum errasset in regem, perisset in hostibus, nisi dexteram perdidisset. Et quot ex nostris non dextram[2]) solum, sed totum corpus uri, cremari sine ullis eiulatibus pertulerunt, cum dimitti[3]) praesertim haberent in sua potestate? Viros cum Mucio vel cum Aquilio aut Regulo[4]) comparo: pueri et mulierculae nostrae cruces et tormenta, feras et omnes suppliciorum terriculas inspirata[5]) patientia doloris inludunt. Nec intellegitis, o miseri, neminem esse, qui aut sine ratione velit poenam subire, aut tormenta sine Deo *possit*[6]) sustinere? Nisi forte vos decepit, quod Deum nescientes divitiis affluant, honoribus floreant, polleant potestatibus. Miseri! in hoc altius tolluntur, ut decidant altius. Hi enim ut victimae ad supplicium saginantur, ut hostiae ad poenam coronantur; in hoc adeo quidam imperiis ac dominationibus eriguntur, ut ingenium eorum perditae mentis licentiae *potestates* liberae nundinentur[7]). Absque enim notitia Dei quae pot-

---

dens insultat ex emend. Wowerii. Recepi emendationem Davisii, qui haec adnotat: „Respicit, ut credo, Minucius ad exempla Martyrum, qui moras urgere carnificis et bestias ad se trahere consueverunt. V. I. B. Cotelerium in Ignatii Epist. ad Roman. c. 5." Igitur „arripere" verbum interpretandum est per: lubenter arripere nec differre occasionem. — Verbo „inculcare" pro: conculcare in usu fuisse docent loci Tertull. adv. Nation. I, 10. et de Poenit. c. 7. cf. etiam Cyprian. ad Demetrian. p. 185. ed. Oxon. 1) stultat Cod. vitiose. 2) Sic Cod. et ed. Muralt. In cett. dexteram. 3) dismitti Cod. test. Crus. et Hild. 4) V. Intt. ad Arnob. I, 40. 5) Correxerunt nonnulli insperata, sed perperam. 6) posse Cod. vitiose. 7) Sic Cod. nisi quod potestatis libere praebet, quod emendavi. licentiae dativus coniung. cum verbis perditae mentis. Verto: „damit die unumschränkte Gewalt ihren Geist an die Zügellosigkeit einer verlor-

est esse solida felicitas, cum mors [1]) sit? somnio similis, antequam tenetur, elabitur. Rex es? et tam [2]) times quam timeris, et quamlibet sis multo comitatu stipatus, ad periculum tamen solus es. Dives es? sed fortunae male creditur, et magno viatico breve vitae iter non instruitur, sed oneratur. Fascibus et purpuris gloriaris? vanus error hominis et inanis cultus dignitatis fulgere purpura, mente sordescere. Nobilitate generosus es? parentes tuos laudas? omnes tamen pari sorte nascimur, sola virtute distinguimur. Nos igitur qui moribus et pudore censemur, merito malis voluptatibus et pompis vestris et spectaculis abstinemus, quorum et de sacris originem novimus et noxia blandimenta damnamus. Nam in ludis curulibus quis non horreat populi in se rixantis insaniam? in gladiatoriis homicidii disciplinam? In [3]) scenicis etiam non minor furor *est*, turpitudo prolixior: nunc enim mimus vel exponit adulteria vel monstrat, nunc enervis histrio amorem dum fingit, infligit; idem deos vestros induendo stupra, suspiria, odia, dedecorat; idem simulatis doloribus lacrimas vestras vanis gestibus et nutibus provocat: sic homicidium in vero flagitatis, in mendacio fletis.

38. Quod vero sacrificiorum reliquias et pocula delibata contemnimus, non confessio timoris est, sed verae libertatis adsertio. Nam etsi omne quod nascitur ut inviolabile Dei munus nullo opere corrumpitur, abstinemus tamen, ne quis existimet aut daemoniis, quibus libatum est, cedere, aut nostrae religionis pudere. Quis autem ille, qui dubitat vernis indulgere nos floribus, cum capiamus [4])

---

nen Seele (h. e. qualis perditae mentis est propria) verkaufe". Edd. partim mentis licentia potestatis liberae, partim mentis licentiae potestatis libere, partim mentes licentia potestatis libere habent. Orell. cj. ut imperium eorum perditae mentes licentiâ potestatis liberae nundinentur. 1) Gelenius cum aliis nonnullis editoribus inducit voc. mors. 2) Sic Cod. et ed. Muralt. Herald. cum ed. pr. edidit Rex esse tam. Rigalt. ed. Rex es? sed tam. In cett. Rex es, tam ex emend. Gelenii. 3) Sic Codd. et plurr. edd. In aliis disciplinam? et in. — In seqq. Cod. furore turpitudo habet, quod edd. partim mutarunt in furor, et turpitudo (ex emend. Rig.) partim in furor, turpitudo. Recepi emendationem Heraldi. —

4) carpamus. cj. Stewech. et Davis. —

et rosam veris et lilium et quicquid aliud in floribus blandi coloris et odoris est? his enim et sparsis utimur mollibus ac solutis, et sertis colla conplectimur. Sane quod caput non coronamus [1]), ignoscite; auram boni floris naribus ducere, non occipitio capillisve solemus haurire. Nec mortuos coronamus. Ego vos in hoc magis miror, quemadmodum tribuatis exanimi aut non sentienti facem, aut non sentienti coronam [2]), cum et beatus non egeat, et miser non gaudeat floribus. At enim nos exsequias adornamus [3]) eadem tranquillitate qua vivimus, nec adnectimus arescentem coronam, sed a Deo aeternis floribus vividam sustinemus, qui et [4]) modesti Dei nostri liberalitate securi *in* spem [5]) futurae felicitatis fide praesentis eius maiestatis animamur. Sic et beati resurgimus et futuri contemplatione iam vivimus. Proinde Socrates scurra Atticus viderit, nihil se scire confessus, testimonio licet fallacissimi daemonis gloriosus; Arcesilaus [6]) quoque et Carneades et Pyrrho et omnis [7]) Academicorum multitudo deliberet; Simonides etiam in perpetuum conperendinet: philosophorum supercilia contemnimus, quos corruptores et adulteros novimus et tyrannos et semper adversus sua vitia facundus. Nos non [8]) habitu sapientiam sed mente praeferimus, non eloquimur magna sed vivimus, gloriamur nos consecutos quod illi summa intentione quaesiverunt nec invenire potuerunt. Quid ingrati sumus? quid nobis *invidemus* [9]), si

1) Cf. Clem. Alex. Paedag. II, 8. 2) Sic Cod. et recte, etsi ea repetitio primo quidem obtutu paulo incommodior esse videatur. Verte „wie ihr einem Entseelten oder doch wenigstens Fühllosen eine Fackel, oder diesem Fühllosen einen Kranz zuertheilen mögt". Edd. pars cum Cod. et ed. pr. faciunt, cett. maximam partem aut: tribuatis exan. aut sentienti facem aut n. s. cor. ex Gelenii, aut: trib. sentienti f. a. n. s. cor. ex Salmasii (Exerc. in Plin. p. 963.) emendatione habent; Herald. cj. tr. exanimi ut n. s. f. ut s. cor. Davis. cj. trib. exan. aut n. s. f. („fax enim non nisi videntium commodis inservit") aut sent. cor. — Alii aliter sunt ariolati. 3) adoramus edd. vett. invitis Codd. 4) Pars edd. quieti habet pro qui et ex emend. Rigalt. 5) Sic correxi cum Memmio, Davisio, Hildebr. ad Apul. I, p. 626. Cod. securi spem (teste Muralt.: securis spem) habet, et ita edd. plurr. In cett. securi spe. ex emend. Gelenii. 6) Sic Cod. Edd.: Arcesilas. 7) Pyrrho, omnis ed. Rig. 8) nos qui non mg. Urs. et inde edd. aliquot. 9) invidemur Cod. test. Crus. et Hild.

veritas divinitatis nostri temporis aetate maturuit? Fruamur bono nostro et recti sententiam temperemus; cohibeatur superstitio, impietas expietur, vera religio reservetur[1]).

39. Cum Octavius[2]) perorasset, aliquamdiu nos ad silentium stupefacti intentos[3]) vultus tenebamus, et quod ad me est, magnitudine admirationis evanui, quod ea, quae facilius est sentire quam dicere, et argumentis et exemplis et lectionum auctoritatibus adornasset, et quod malevolos[4]) isdem illis quibus armantur philosophorum telis retudisset, ostendisset etiam veritatem non tantummodo facilem, sed et favorabilem.

40. Dum isthaec igitur apud me tacitus evolvo[5]), Caecilius erupit: Ego Octavio meo plurimum quantum *ea de* tranquillitate qua *uti vidimus* sed[6]) et mihi gratulor, nec exspecto sententiam. Vicimus et ita; *haud* improbe[7]) usurpo victoriam. Nam ut ille mei victor est, ita ego triumphator erroris. Itaque quod pertineat[8]) ad summam quaestionis, et de providentia fateor et Deo cedo[9]) et de sectae iam nostrae sinceritate consentio. Etiamnunc tamen aliqua consubsidunt non obstrepentia veritati, sed perfectae institutioni necessaria, de quibus crastino, quod

---

1) servetur mg. Urs. et inde edd. aliquot.

2) In mg. Cod. Par. ad haec verba adscriptum est: MINUCIUS. 3) Sic Cod., sed plurr. pars edd. intenti habet cum ed. pr. probb. Meurs. et Rigalt. 4) malivolis Cod. a m. pr. malevolis a m. sec. — In seqq. Cod. retudisse (teste Muralt. rettudisse) habet test. Crus. et Hild.

5) Sic Cod. et pars edd., quarum tamen maior pars cum ed. pr. revolvo tenet. — In seqq. edd. vett. et pars recentiorum Caecilius sic erupit habet praeter Cod. auctoritatem. 6) quantum eadem tranquillitate qua vivimus sed Cod. quod emendavi. Recordatur Caecilius antea se non pari tranquillitate usum esse in disputando. Edd. pars praebet quantum ad tranqu. qua vivimus sed ex emend. Gelenii, in aliis quantum sed legitur, ceteris deletis; ea de tranqu. qua viv. cj. Scriver. — In Cod. Par. mg. ad hanc lineam adscriptum est: CAECILIUS. 7) ut improbe Cod. quod emendavi cum Iac. Gronovio. Edd. vett. cum pr. habent ut improbus. Davis cj. et haud improbe. — Caecilius postquam per verba „nec exspecto sententiam" ab Octavio se victum confessus est, dicit se tamen et ita (h. e. licet ille victor in disputando evaserit) nec improbo modo usurpare victoriam, nam sqq. 8) pertinet mg. ed. Urs. et inde edd. nonnullae. 9) de deo credo edd. aliquot ex cj. Wowerii.

iam sol occasui declivis est, ut de toto[1]) congruentius, promptius requiremus. At ego[2]), inquam, prolixius omnium nostrum vice gaudeo, quod etiam mihi Octavius[3]) vicerit, cum maxima iudicandi mihi invidia detracta sit. Nec tamen possum meritum eius verborum laudibus repensare; testimonium et hominis et unius infirmum est: habet Dei munus eximium, a quo et inspiratus oravit et obtinuit adiutus. Post haec laeti hilaresque discessimus, Caecilius quod crediderit, Octavius gaudere[4]) quod vicerit, ego et quod hic crediderit et hic vicerit.

---

1) et die toto cj. Memm. et Anonym. Paris. ap. Muralt. 2) In mg. Cod. Par. adscriptum legitur: MINUCIUS. 3) etiam Oct. mihi edd. vett. invitis Codd. 4) h. e. ad gaudendum. Aliquot editores et interpretes infinitivi rationem non capientes inducebant voc. gaudere. — In seqq. pars edd. ego quod et praebet, in aliis et prorsus deletum est. — Nihil subscriptum est Cod. Parisino.

IULII FIRMICI MATERNI. V. C.

DE

ERRORE PROFANARUM

RELIGIONUM

AD CONSTANTIUM ET CONSTANTEM AUGUSTOS LIBER.

---

[1]) * * * * * * * * * * * * * * quod in fabricatione hominis artifex effecit [2]), ut antea diximus, annuis perditorum commonitionibus ac excommunicationibus [3]) specialiter retexenda sunt. In testificationem [4]) veritatis manifestis rationibus exemplorumque testimoniis divinationem probabimus per Diabolum esse inventam et perfectam, ut per hoc spiritus maculata cogitatione, spe fluxae [5]) felicitatis, perversa discretione perverteret miseros homines perpetuis calamitatibus implicitos [6]).

1. Quatuor elementa esse principia creaturarum

---

1) Prooemium. — Haud ita multa desiderari iudicant Hertz et Münter, quibus adstipulor; et ipsa Flacii verba: ,,Desunt Quedam" indicare videntur. Deesse videtur brevis ad Imperatores adlocutio et argumenti expositio, unde transierit ad Christiana quaedam dogmata de creatione mundi deque lapsu protoplastorum insidiis diaboli seductorum, inde viam sibi muniturus ad ethnicos admonendos, ut a simili fraude sibi caveant. 2) Sic ed. pr. In cett. fecit. 3) Sic ed. pr. In cett. maiore parte ac communicationibus emendatum extat, in aliis haec verba prorsus deleta sunt aut omissa. — In seqq. post retexenda sunt omnes editores comma posuerunt praeter Münterum, qui punctum. 4) testificationum ed. pr. 5) Emendandum fortasse fluxa. 6) Post implicitos inde a Wowero omnes editores lacunae signum posuere, quod tamen ed. pr. non habet.

nemo est qui dubitet, id est, ignem, aquam, aërem et terram. Sed haec elementa diversa sunt vel in potestate contraria. In errore sunt itaque gentes, quae cum elementis tribuant principatum [1]), adhuc deputant ignem quasi summum deum, quasi cetera ex ipso habeant substantiam calore [2]), nescientes quod omnia elementa ex ipsa sint sua contrarietate coniuncta et quod et ipsa habeant fabricatorem Deum, qui singula suis locis ordinibusque constituens creavit, quod aut mente aut cogitatione colligimus, aut certe quod oculis cernimus divina verbi sui societate [3]) compositum aequata corporum moderatione in hoc toto.

2. Aegypti incolae aquarum beneficia percipientes, aquam colunt, aquis supplicant, aquas superstitiosa votorum continuatione venerantur [4]). Sed in sacris suis, quae mysteria vocant [5]), addunt tragica funera et funesta calamitatis metuendae certamina. Incestum cum sorore adulteriumque aiunt commissum et hoc facinus severis mariti animadversionibus vindicatum. Isis soror est, Osiris frater, Typhon maritus; is cum comperisset Isidem uxorem incestis fratris cupiditatibus esse corruptam, occidit Osirim artuatimque laceravit et per omnes Nili fluminis ripas miseri corporis palpitantia membra proiecit [6]). Isis repudiato Typhone, ut et fratrem sepeliret et coniugem, adhibuit sibi *Nephthyn* [7]) sororem sociam et Anuben venatorem, cui ideo caninum caput impositum est, quia lacerati corporis partes artificio canis vestigantis invenit [8]). Sic inventum

---

1) Creuzer Symbol. I, 651 sq. Kleuker *Περσικά* in Append. ad Zendavest. c. 20. p. 114. 2) Herodot. I, 131. Brisson. de Regio Persar. Principatu (Argentor. 1710.) p. 349. et 356. Creuzer Symb. I, 692. 713. IV, 410. 3) Ioh. I, 2 et 3. — De elementorum concordia v. Apulei. de Mundo c. XIX. et quae ibi praebent Intt. —

4) Cf. Athanas. adv. Graec. 24. Plut. de Isid. et Osir. 5. Lactant. II, 6. Pro continuatione Iac. Gronov. cj. consignatione. 5) Sainte-Croix sur les Mystères II, 151 sqq. Creuzer Symb. I, 259 sqq. 6) Plut. l. l. 18. Diod. Sic. I, 21. Creuzer Symb. I, 259 sq. et 302 sqq. 7) Nephtuni ed. pr. Nephten cett. edd. V. de ea Plut. l. l. 14. Iablonsky Panth. Aegypt. III, 46. et 112 sqq. — In seqq. ed. pr. Anubem, cett. Anubin praebent. Pro venatorem Münterus latratorem restituendum esse censuit. Male. Si quid mutandum, malim vestigatorem. 8) De canino Anubidis capite v. Plut. l. l. 44. Heinrich ad Iuvenal. Sat. VI, 534. et quos citat Hildebr. ad

Osirim Isis tradidit sepulturae. Fuerant sane [1]) hi apud Aegyptum reges pariter ac tyranni [2]), sed Osiris iustus, praeter illud quod cum sorore commisit, Typhon furiosus impotens ac superbus; ideo ille colitur, iste vitatur [3]). Haec est Isiaci sacri summa. In adytis habent idolum Osiridis sepultum: hoc annuis luctibus plangunt [4]), radunt capita, ut miserandum casum regis sui turpitudine dehonestati defleant capitis, tundunt pectus, lacerant lacertos, veterum vulnerum resecant cicatrices, ut annuis luctibus in animis eorum funestae ac miserandae necis exitium renascatur [5]). Et cum haec certis diebus fecerint, tunc fingunt se lacerati corporis reliquias reperire, et cum invenerint, quasi sopitis luctibus gaudent. O misera et caduca mortalitas! ut regibus tuis per annos singulos funestas mittas inferias, neglecto Deo summo, qui omnia divini artificii moderatione composuit, et spem tuam perdis et vitam. Nec ostensi tibi luminis splendore corrigeris, nec recuperatae libertatis quaeris insignia, nec spem redditae tibi salutis agnoscis, nec ex poenitentia praeteritorum criminum indulgentiam postulas. Frustra tibi hanc aquam, quam colis, putas aliquando prodesse. Alia est aqua, qua renovati homines renascantur [6]). Hanc aquam, quam colis per annos singulos, vis alia decoctis venarum meatibus siccat aut certe funestus regis tui [7]) sanguis commaculat: illa, quam despicis, ignita venerandi spiritus maiestate decoratur [8]), ut ex ipsa per veteres conscientiae cicatrices credentibus hominibus salutaris sanitas irrigetur. Sed in his funeribus et luctibus, quae vere sunt funera quae facta sunt, quorum extant hodie quoque reliquiae — nam et sepulchrum

---

Apulei. I. p. 1027. 1) sani vitiose extat in ed. LB. 1632. 2) Synes. de Provid. or. p. 91 sqq. ed. Petav. 3) Colebatur tamen in idolis templisque. V. Thorlacii Progr. de Typhoniis Aegyptiorum (Hafn. 1822.). Horum Typhoniorum reliquiae adhuc supersunt. Münter. 4) Athan. adv. Gr. c. 10. 5) Plut. l. l. 4. Artemid. Oneirocr. I, 23. Euseb. Praep Ev. II, 1. Prudent. c. Symmach. I, 609. Synes Encom. Calv. p. 79. ed. Petav. Herod. II, 61. Lactant. I, 21. Theophil. ad Autol. I, 14. Athenag. Leg. pro Chr. 12. Lamprid. in Commod. c. 9. Intt. ad Min. Fel. 21. 6) Aqua baptismi. — Omnes edd. praeter princ. renascuntur praebent. 7) sc. Osiridis. — Pro funestus in ed. pr. funestis extat. 8) Münterus Firmicum respicere putat historiam baptismi Christi ap. Luc. III, 21. Iohann. I, 32 et 33.

Osiridis hodie in Aegypto est [1]) et cremati corporis reliquiae cernuntur [2]) — defensores eorum volunt addere physicam rationem, frugum semina Osirim dicentes esse [3]), Isim terram [4]), Typhonem calorem [5]), et quia maturatae fruges calore ad vitam homini [6]) colliguntur et a terrae consortio separantur et rursus appropinquante hieme seminantur, hanc volunt esse mortem Osiridis, cum fruges *recidunt* [7]) inventionem vero, cum fruges genitalis terrae *fomento* [8]) conceptae *nova* rursus coeperint procreatione generari. Pone hanc veram esse sacrorum istorum rationem, pone propter fruges vota reddi numinibus: quid addis incestum, quid adulterium, quid miserandae animadversionis exitium? Quid errantibus hominibus et simpliciter peccare cupientibus de sacris tuis malum monstras exemplum? physica ratio, quam dicis, alio genere celetur. Quid autem celari oportuit quod omnibus notum est? Cur plangitis fruges terrae et crescentia lugetis semina? Ad sustentationem generis humani haec omnia divina summi Dei liberalitate donata sunt. Agendae sunt summo Deo gratiae propter hoc, nec est summi Dei lugenda largitio. Deflete potius quod erratis, et errorem [9]) vestrum restauratis semper luctibus plangite. Nolite annuis sacris quaerere funus alienum: vestris potius funeribus parate solatia per annos singulos. O miser homo! invenisse

1) Diod. Sic. I, 21. 22. 85. Athanas. adv. Gr. 25. Creuzer Symb. I, 259 sqq. et in Comment. Herodot. I, 2, 10 sqq. 2) Aut latet vitium sub voc. cremati, aut erroris vel negligentiae inculpandus est Firmicus, quandoquidem in Aegypto cadavera numquam cremabantur. 3) Plut. de Is. et Osir. c. 33. Suid. s. v. Δόγμα. Euseb. Praep. Ev. II, 1. III, 12. Athenag. Leg. pro Chr. c. 19. 4) Isim ed. pr. Isin cett. edd. — Creuzer Symb. IV, 220. Munck. ad Albric. Im. Deor. XXIII, p. 937. Diod. Sic. I, 14. Isidor. Etym. VIII, 11, 84. cf. Apollod. II, 1, 3. 5) Münterus citat Plut. de Is. et Osir. c. 33. Iablonsky Panth. Aegypt. III, 84 sqq. et Norbergii diss. de Semum Vento in eius Opusc. Acad. (Lond. Goth. 1819.) III, 302. Adde Tzetz. Chil. VIII, hist. 171. Senec. Quaest. Nat. V, 12. 13. Intt. ad Valer. Flacc. III, 130 sqq. — In seqq. pro et quia ed. pr. habet ut quia. 6) Sic ed. pr. In cett. edd. hominis. 7) reddunt legitur in ed. pr. et cett. mendose, unde correxi recidunt. Olim cj. metunt vel redeunt. — Wower. cj. redduntur. 8) genitalis terrae frumento ed. pr. In cett. genitali terrae fomento ex emend. Woweri. — In seqq. pro nova ed. pr. habet omnia. Emendatio illa nova (vel novae, ut alia exempla praebent) Woweri est. 9) Revocavi lectionem ed. principis. Cett. edd. omnes praebent et quod

te nescio quid gaudes, cum animam tuam ex istis sacris per annos singulos perdas. Nihil illic invenis nisi simulachrum, quod ipse posuisti, *nihil* [1]) quod iterum aut quaeras aut lugeas. Quaere potius spem salutis, quaere exordium lucis, quaere quod te summo Deo aut commendet aut reddat, et cum veram viam salutis inveneris, gaude et tunc erecta sermonis libertate proclama *εὑρήκαμεν, συγχαίρομεν* [2]), cum ab his calamitatibus post poenitentiam tuam summi Dei fueris indulgentia liberatus.

3. Phryges, qui Pessinuntem incolunt circa Galli fluminis ripas, terrae ceterorum elementorum tribuunt principatum et hanc volunt omnium esse matrem [3]). Deinde ut et ipsi annuum sibi sacrorum ordinem facerent, mulieris divitis ac reginae suae amorem, quae fastus amati adolescentis tyrannice voluit ulcisci, cum luctibus annuis consecrarunt, et ut satis iratae mulieri facerent, aut ut poenitenti solatium quaererent, quem paulo ante sepelierant revixisse [4]) iactarunt, et cum mulieris animus ex impatientia nimii amoris arderet, mortuo adolescenti templa fecerunt. Tunc quod irata mulier pro iniuria spretae fecerat formae [5]), hoc ordinantes a se pati voluere sacerdotes. Sic annuis sacris cum honore terrae istius funeris pompa componitur, et cum persuadetur [6]) hominibus quod colant terram, miseri funeris venerantur exitium. Hic quoque, sacratissimi Imperatores, ut error iste celetur, etiam haec sacra physica volunt esse ratione composita [7]). Amare terram volunt fruges, amatum vero hoc ipsum volunt esse quod ex frugibus nascitur, poenam autem quam sustinuit hoc vo-

---

errorem. 1) Sic emendavi pro nisi quod extat in omnibus edd. 2) Verba solemnia exclamantium in sacris Isiacis invento corpore Osiridis. Schol. ad Iuven. Sat. VIII, 29. ubi v. Cramer. p. 312. Cf. Athenag. Leg. pro Chr. c. 19. Min. Fel. Octav. c. 21. August. C. D. VI, 10.

3) Serv. in Georg. II, 268. Censorin. de Die Nat. c. 3 et 4. et Arnob. II, 52. Lactant. II, 10. ibique Intt. 4) Aliter Arnob. V, 14. 5) Diverse fabula narratur. Alii enim et plerique Attidem sibi ipsum genitalia desecuisse tradunt, quod facinus h. l. Cybelae iratae tribuitur. V. Lactant. Epit. c. 8. Augustin. C. D. II, 4. Lucian. de Dea Syr. c. 15. Euseb. Praep. Ev. II, 4. Arnob. V, 7. ibique Intt. In seqq. cave ne cum Iac. Gronovio *a* praepositionem inducendam putes. 6) persuaderetur ed. pr. vitiose. 7) Cf. Creuzer Symb. II, 36 sqq.

lunt[1]) esse, quod falce messor maturis frugibus facit: mortem ipsius dicunt, quod semina collecta conduntur, vitam rursus, quod iacta semina annuis vicibus reconduntur. *Velim*[2]) nunc mihi inquirenti respondeant, cur hanc simplicitatem seminum ac frugum cum facinore, cum morte, cum fastu, cum poena, cum amore iunxerint? Itane non erat aliud quod diceretur? Itane non erat, quod in agendis Deo summo pro frugibus gratiis faceret misera mortalitas? Ut gratias pro renatis frugibus agas, ululas? ut gaudeas, plangis? nec te, cum veram rationem videris, hoc aliquando fecisse poenituit, sed hoc agis, ut annuis luctibus occupatus vitam semper fugias, mortem requiras? Dicant mihi, quid hoc frugibus profuit, ut fletus suos annuis ululatibus seminent in tristitia, interfecti funeris calamitatibus ingemiscant, quod dicant physica ratione compositum. Lugetis[3]) et plangitis, et luctus vestros alia ratione celatis. Novit agricola quando terram aratro dimoveat, quando sulcis frumenta committat, novit quando maturatas solis ardoribus colligat segetes, novit quando tostas terat fruges. Haec est physica ratio, haec sunt vera sacrificia, quae ab sanae mentis hominibus annuo labore complentur. Hanc simplicitatem divinitas quaerit, ut homines in colligendis fructibus ordinatis temporum legibus serviant. Cur huic ordini miserae mortis figmenta quaesita sunt? Cur celatur lachrymis quod celari non debuit? unde confiteantur necesse est haec sacra non in honorem frugum, sed in honorem esse composita mortis alienae. Nam quod terram matrem esse omnium deorum dicunt qui huic[4]) elemento tribuunt primas partes, vere deorum suorum mater est, nec abnuimus aut recusamus, quia ab hac collectos deos suos aut lapideos faciunt semper aut ligneos. Terram omnem circumfluunt maria, et rursus inclusa oceani ambientis circulo stringitur, caeli etiam rotunda sublimitate operitur, perflatur ventis, aspergitur pluviis et timorem suum assidui motus tremoribus confitetur.

---

1) nolunt ed. pr. vitiose, ac sic etiam supra noluere sacerdotes et paulo post nolunt fruges pro voluere sacerd. et volunt fruges. 2) Vellem ed. pr. 3) compositum. Lugetis ed. pr. In cett. edd. compositum, lugetis. 4) hinc ed. pr. mendose.

Quid vos maneat, qui haec colitis, considerate, cum dii vestri infirmitatem suam vobis quotidianis professionibus prodant.

4. Assyrii et pars Afrorum aërem ducatum habere elementorum volunt et hunc [1]) imaginata figuratione venerantur. Nam hunc eundem, id est aërem [2]), nomine Iunonis vel Veneris virginis, si tamen Veneri placuit aliquando virginitas [3]), consecrarunt. Iunonem sane, ne et huic deesset incestus, Iovis volunt ex sorore coniugem factam [4]). Effeminarunt sane hoc elementum nescio qua veneratione commoti. *Num* [5]) quia aër interiectus est inter mare et caelum, effeminatus eum sacerdotum vocibus prosequuntur? Dic mihi hoccine est, quod in viro feminam quaerunt, cui aliter servire sacerdotum suorum chorus non potest nisi effeminent vultum, cutem poliant et virilem sexum ornatu muliebri dedecorent? Videre est in ipsis templis cum publico gemitu miseranda ludibria, viros muliebria pati, et hanc impuri et impudici corporis labem gloriosa ostentatione detegere [6]). Publicant facinora sua et contaminati corporis vitium cum maxima delectationis [7]) macula confitentur, exornant muliebriter nutritos crines et delicatis amicti vestibus vix caput lassa cervice sustentant,

---

1) Emendandum fortasse hinc. — De re v. Sanchuniath. ap. Euseb. Praep. Evang. I, 10. Plutarch. Crass. c. 12. De cultu Mylittae v. Herodot. I, 199. Pausan. I, 14. Münter. Dissertt. de Templo Deae Caelestis Paphio et de Relig. Carthagin. p. 62 sqq. Movers Relig. der Phöniz. p. 679 sqq. 2) Verba id est aërem textu eiecerunt nonnulli editores tanquam glossema, sed citra rationem, uti recte iudicavit iam Hildebr. ad Apulei. I, p. 42. 3) virginitatis ed. pr. vitiose. 4) De his matrimoniis incestis Deorum multi sunt Patres. V. Minuc. Fel. c. 31. Tertull. Apol. c. 14. Arnob. IV, 35. V, 9. Clem. Alex. Protrept. c. 2. p. 14. Athenag. c. 16. 27. Tatian. c. 13. 16. Cf. Creuzer Symbol. I, 281. III, 370. — In seqq. pro Effeminarunt ed. pr. vitiose praebet Et foeminarum. — Ceterum aperte h. l. Firmicus respexit Cic. N. D. II, 26. ubi v. Creuzer. Cf. Senec. Quaest. Natur. III, 14. Heraclid. Pont. Alleg. Homer. c. 10. p. 53. ed. Schow. 5) Nam ed. pr. vitiose. 6) Cf. Cyprian. Carm. ad Senatorem ex religione Christ. ad idola reversum v. 3 sqq. Commodian. Instr. XVII. Creuzer Symbol. II, 163. Münter de Relig. Carthag. p. 82 sqq. Minuc. Felic. Octav. c. 25. 28. ubi v. Intt. Athanas. adv. Gr. c. 26. Schol. ad Iuven. Sat. VI, 488. Ovid. Am. II, 2, 25. et de A. A. III, 392. 7) Wower. cj. detestationis. Male; delectatio ipsa est macula.

deinde cum sic se alienos a viris fecerint, adimpleti tibiarum cantu vocant deam suam, *et* [1]) nefario repleti spiritu vanis hominibus quasi futura praedicunt. Quod hoc monstrum est, quodve prodigium? Negant se viros esse, et non sunt mulieres: *mulieres* se [2]) volunt credi, sed aliud qualiscunque qualitas corporis confitetur. Considerandum est etiam, quale sit numen, quod sic impuri corporis delectatur hospitio, quod impudicis adhaeret membris, quod *pollucta* [3]) corporis contaminatione placatur. Erubescite o miseri *insanitatem* [4])! aliter vos Deus fecit. Cum cohors vestra ad tribunal iudicantis Dei accesserit, nihil vobiscum referetis [5]), quod Deus, qui vos fecit, agnoscat. Adiicite hunc tantae calamitatis errorem et studia profanae mentis aliquando deserite. Nolite corpus, quod Deus fecit, scelerata Diaboli lege damnare; calamitatibus vestris, dum adhuc tempus patitur, subvenite. Misericordia Dei dives est, libenter ignoscit [6]). Relictis nonaginta novem ovibus amissam quaerit unam [7]), et reverso pater prodigo filio vestem reddit et parat coenam [8]). Nulla vos desperare faciat criminum multitudo: Deus summus per filium Iesum Christum Dominum nostrum volentes liberat et poenitentibus libenter ignoscit nec multa [9]) exigit ut ignoscat. Fide tantum et poenitentia potestis redimere quicquid sceleratis Diaboli persuasionibus perdidistis.

5. Persae et Magi omnes, qui Persiae regionis incolunt fines, ignem praeferunt, omnibus elementis ignem putant [10]) debere praeponi. Hi itaque Iovem in duas di-

---

1) ut — praedicunt ed. pr. quod emendavi. Cett. edd. habent ut — praedicant. 2) et non sunt, Mulieres se ed. pr. quod emendavi. Cett. edd. habent et sunt; mulieres se. 3) Sic emendavi. Edd. omnes praebent polluta sine sensu. 4) miseri summitatem ed. pr. Cett. edd. habent supinitatem ex correct. Woweri, sed sine sensu. Nam Forcellin. in lex. qua auctoritate dicat supinitatem etiam pro stupiditate poni, ego quidem assequi non possum. Alii cj. sublimitatem. Ipse olim cogitabam stupiditatem reponendum esse, nunc tamen non dubito, quin verissima sit emendatio insanitatem, quod vocabulum propter finalem praegressae voc. miseri literam corruptelae admodum pronum fuisse cuivis in aperto est. 5) Sic ed. pr. In cett. omnibus afferetis. 6) Matth. XVIII, 27. 7) Matth. XVIII, 12. Luc. XV, 4. 8) Luc. XV. 22. 9) mulctam cj. Wower. Sed retinendum esse multa probant sequentia. —

10) Sic ed. pr. In cett. edd. praeferunt, et omnibus

vidunt potestates, naturam eius ad utriusque sexus transferentes et viri et feminae *simulachro* [1]) ignis substantiam deputantes. Et mulierem quidem triformi vultu constituunt, monstrosis eam serpentibus illigantes [2]), quod ideo faciunt, ne ab auctore suo Diabolo aliqua ratione dissentiant [3]), sed ut dea sua serpentibus polluta maculosis Diaboli insignibus adornetur. Virum vero abactorem boum [4]) colentes sacra eius ad ignis transferunt potestatem, sicut propheta eius nobis tradidit dicens:

— — — — — — — ἀνικήτοιο [5])
Μύσται βουκλοπίην συναείδετε πατρὸς ἀγανοῦ.

---

elementis putant. — De re v. Clem. Alex. Protr. c. 5. Max. Tyr. Diss. I, 8. p. 135. ed. Reiske. Socrat. H. E. VII, 8. Rufin. H. E. II, 26. cf. Xenoph. Cyrop. VIII, 3, 12. et Intt. Agath. II, 25. Cf. Movers Phönizier p. 339 sq. 1) simulachra edd. omnes, quod correxi. Münterus ad praepositionem ante voc. viri vel ante ignis addendum censuit. — Respiciunt Firmici verba Mithram deum et Mitram deam Persarum, de quibus v. Creuzer Symb. I, 728 sqq. Habent enim duas statuas, alteram masculam, alteram muliebrem, quae ipsis sunt imagines seu symbola duplicis substantiae ignis. Facem praefert Strabo, qui XI, 8. p. 478. ed. Tzschucke, de statuis loquitur Anaitidis et Omani atque Anandati Persicorum Geniorum, a Sacis et Massagetis Zelae in eadem ara positis. Münter. Cf. Beros. III, p. 70. ed. Richter. et Clem. Alex. l. l. 2) Münter. adnotat: „Quatenus in eam ex mente Graecorum coaluerant Mylitta, Artemis et Persephone. Creuzer Symb. I. 735. Nam de idolo tricipiti ad formam Hecates ficto non est quod cogitemus. Et licet Mithras artis operibus saepe fuerit expressus, de Mitra tamen iisdem repraesentata nunquam me legere memini, nisi forte huc pertineant quae narrat Diod. Sic. II, 9. de statua Opis sedentis in cacumine pyramidis quae Belo Babylone exstructa erat.“ Cf. etiam Movers l. l. p. 674 sqq. Ceterum cur Solis statuae draconis effigies subiungi solita fuerit docet Macrob. Sat. I, 20. 3) Respicit lapsum protoplastorum Genes. c. 3. 4) Mithram. Is enim vocabatur *βουκλόπος*. Porphyr. de Antro Nymph. c. 18.: *„καὶ βουκλόπος θεὸς τὴν γένεσιν λεληθότως ἀκούων.“* Cf. Stat. Theb. I, 720. ibique schol. Commodian. Instr. 13. Zoega Abhandl. p. 131. ed. Welcker. Creuzer Symb. I, 131. Sainte-Croix II, 121. Kleuker in Append. ad Zendav. II, 2. p. 128. et quae adnotavi ad Arnob. VI, 10. 5) Sic emendavi. Edd. habent corruptissime: *Μικτάβω μυστάκυ ὁ κλοπίης σύνδετε πατρὸς ἀγαύου* (ed. pr.: *ἀγάνου*). Ios. Scalig. ap. Wower. (cf. Woweri Epist. Centur. II, 38.) emendaverat:

Μυκητάο βοὸς μύσται — — — — — — —
Κύκλα βοοκλοπίης συναείδετε πατρὸς ἀγανοῦ.

Ἀνίκητος solenne Mithrae cognomen. Saepissime enim in In-

Hunc [1]) Mithram dicunt. Sacra vero eius in speluncis abditis tradunt, ut semper obscuro tenebrarum squalore demersi gratiam splendidi ac sereni luminis videant [2]). O caeca numinis consecratio! o nefariae legis fugienda commenta! Deum esse credis, cuius de sceleribus confiteris. Vos itaque, qui dicitis in his templis *ritu* sacrificari Magorum, ritu Persico [3]), cur haec Persarum sacra laudatis? Scio, hoc Romano nomine dignum putatis, *ut* Persarum sacris, *ut* [4]) Persarum legibus *obsequatur* [5]) *

* * * * ut armata clypeo, lorica, thorace, gladio et hasta consecratur [6]). Tertia etiam pars [7]) est, qua in

---

scriptt. appellatur: „Ἀνίκητος Θεός“ et: „Invictus Deus“. Kopp Palaeogr. Crit. III, §. 106. 309. 481. et ad Mart. Capell. §. 191. p. 236. — Ceterum cf. de illo versu etiam Grotefend in Böttigeri Amalth. II, 106. Lobeck Aglaoph. I, 588 not. 1) sc. virum, cuius sacra ad ignis potestatem transferunt. Ceterum cave ne verba Firmici „sicut propheta eius nobis tradidit“ ita sumas, tamquam prophetae illius sive poetae nescio cuius testimonio adlato probare voluerit Persas Mithrae sacra ad ignis potestatem transferre. Testimonium hoc pertinet solummodo ad voc. „abactorem boum“. 2) Sic ed. pr. Cett. editores non videntes haec verba cum ironia esse pronunciata ante videant negationem non interposuerunt. Venerantur, inquit, ignem et lumen, et gratiam splendidi ac sereni diei fugiunt, dum tradunt sacra in speluncis et tenebris. — De re v. Porphyr. de Antro Nymph. c. 6. Schol. ad Statii Theb. I, 719. Tertull. de Praescr. Haeret. c. 40. et de Corona Mil. c. 15. Zoega Abh. p. 145. 161 sqq. Kopp. l. l. Cf. Movers Phöniz. p. 390 sqq. 3) Sic emendavi. rite sacrific. magorum ritu Persico ed. pr. In cett. rite sacr. non magorum ritu Persico. 4) Sic emendavi. putatis, ac Persarum sacris. At edd. omnes. 5) Sic emendavi. Edd. omnes praebent sequatur. Post hoc voc. in ed. pr. legitur: „Desunt Quaedam“, asterisco adposito. Lacuna ea quanta fuerit in Cod. Mindensi, quum ille perditus sit, hodie quidem iudicari nequit. In iis quae exciderunt scriptor disseruisse videtur de triformi, quem supra memoraverat vultu Mitrae deae, indeque viam sibi munivisse cum ad alia de triade sacra ethnicorum commenta, tum ad celeberrimum illud Pythagorae et Platonis de triplici animae divisione philosophema, quod in iis quae statim sequuntur refutare studet. 6) Post hoc voc. lacunam inde a Wowero statuerunt omnes editores. Perperam; nec in ed. pr. lacunae eius signum aut indicium extat ullum. Verba refer ad imaginem aut Mitrae deae aut Minervae Iovis capite natae viraginis bellicosae, quam pro „irae“, (cf. paulo infra) primae ex Platonis commento animae partis, tamquam simulacro posuisse videtur. 7) h. e. Altera pars tertia. — De triplici illa animae

asperis secretisque silvarum agrestiumque ferarum sortita imperium. Ultima pars tripartitae istius divisionis aestimat libidinum vias, quae prava desideria quaeque praeposterae cupiditatis monstrant illecebras. Ideo unam partem capiti [1]) assignant, ut hominis iram quodammodo denotare videatur: aliam in corde statuunt, ut diversarum cogitationum varietatem, quas multiplici intentione concipimus, in modum silvarum tenere videatur: tertia pars constituitur in iecore, unde libido nascitur et voluptas. Illic enim genitalium seminum collecta fecunditas naturalibus stimulis desiderium cupiditatis exagitat. Quid ergo perficit ista divisio diligenter aspicite, ut cernatis, quam facile commentum ratio veritatis impugnet. Si dividitur anima et substantia eius diverso efficaciae genere separatur, dissoluto ordine suo incipit esse quod fuerat; aliud enim mens est, aliud ira, aliud libido. Animam ergo separatio ista dissolvit, et patitur maximam ex ista partitione iacturam, nec integram sui speciem res ista custodit, quae per tres contrarias separatim dividitur, et ut verum dicam, fit ex ipsa divisione mortalis. Etenim quod potest dividi, corpus est, quod autem corpus est, necesse est esse mortale: ergo si anima dividitur, corpus est, si corpus est, necesse est sit res ipsa mortalis [2]). Egregia erroris istius ac praeclara comitantia. Maximum nobis beneficium ex ista consequentia confertur: commentis istarum absurditatum animas volunt esse mortales.

6. Sic sunt, sacratissimi Imperatores, elementa a perditis hominibus consecrata. Sed adhuc supersunt aliae superstitiones, quarum secreta pandenda sunt, Liberi et Liberae, quae omnia sacris sensibus vestris specialiter intimanda sunt, ut et in istis profanis religionibus sciatis mortes esse hominum consecratas. Liber itaque Iovis fuit filius [3]),

---

divisione v. Plat. de Rep. IV, p. 436. D. ibique Stallb. Tim. p. 69. Phaedr. p. 246. de Legg. IX, p. 863. Diog. Laert. III, 90. Cf. Apulei. de Dogm. Plat. c. 13. 1) capitis ed. pr. vitiose. 2) Ita ed. pr. Cett. edd. voc. ipsa non habent.

3) Narrat in seqq. duorum, Cretensis et Thebani, Liberorum v. Cic. N. D. II, 24. historiam et nova quaedam nec ulli alii scriptori commemorata profert. Nec tamen fontium, quibus usus fuerit Firmicus, sinceritati multum tribuo. Münterus suspicatur Euhemeri auctoritate eum hic niti.

regis scilicet Cretici [1]. Hic cum fuisset adultera matre progenitus, nutriebatur apud patrem studiosius quam decebat. Uxor Iovis, cui Iunoni fuit nomen, novercalis animi furore commota ad necem infantis omnifariam parabat insidias. Proficiscens peregre pater quia indignationes tacitas sciebat uxoris, ne quid ab irata muliere dolo fieret, idoneis, sicut sibi videbatur, custodibus tutelam credit filii. Tunc Iuno opportunum insidiarum *nacta* [2] tempus et ex hoc fortius inflammata, quia proficiscens pater et solium regni puero tradiderat et sceptrum, custodes primum regalibus praemiis muneribusque corrupit, deinde satellites suos, qui Titanes vocabantur, in interioribus regiae locat partibus et crepundiis ac speculo affabre facto [3] animos ita pueriles illexit, ut desertis regiis sedibus ad insidiarum locum puerilis animi desiderio duceretur. Illic interceptus trucidatur, et ut nullum posset necis inveniri vestigium, particulatim membra conscissa satellitum sibi divisit turba. Tunc, ut huic facinori aliud facinus adderetur, quia vehementer tyranni crudelitas timebatur, decocta variis generibus pueri membra consumunt, ut humani cadaveris inauditis usque in illum diem epulis vescerentur. Cor visum sibi soror servat, cui Minerva fuit nomen [4], quia et ipsa sceleris fuit particeps et ut manifestum esset delationis indicium [5] et ut haberet unde furentis patris impetum mitigaret [6]. Reverso Iovi filia ordinem facinoris exponit. Tunc pater funesta calamitate cladis et acerba luctus atrocitate commotus Titanes quidem vario genere suppliciorum excruciatos necat. Nec praetermissum est in ultione filii aut tormentum aliquod aut poena, sed per omnia poenarum genera bacchatus necem qualitercunque filii vindicavit, affectu quidem patris, sed tyrannica potestate. Tunc quia diutius pater ferre lugentis animi tormenta non poterat et quia dolor ex orbitate veniens nullis

---

1) Athanas. adv. Gr. c. 9. Commodian. Instr. 6. Arnob. IV, 14. 25. et Intt. 2) tracta ed. pr. mendose. 3) Arnob. I, 41. et inprimis V, 19. ubi v. quae adnotavi. Cf. Clem. Alex. Protr. p. 15. Euseb. Praep. Ev. II, 5. Hygin. Fab. 167. Macrob. Somn. Scip. I, 12. Lobeck Aglaoph. I, p. 699 sqq. 4) Cornut. de N. D. c. 30. Tzetz. ad Lycophr. v. 208. Muncker ad Hygin. Fab. 155. 5) iudicium ed. pr. mendose. 6) instigaret cj. Hildebr. ad Apulei. I, p. 106., sed cf. infra inde a verbis: et quia dolor sqq.

solatiis mitigabatur, imaginem eius ex gypso plastico opere perfecit et cor, ex quo facinus fuerat sorore deferente detectum, in ea parte plastae collocant, qua pectoris fuerant lineamenta formata. Post haec pro tumulo extruit templum et paedagogum [1]) pueri constituit sacerdotem. Huic Silenus fuit nomen. Cretenses ut furentis tyranni saevitiam mitigarent, festos funeris dies statuunt et annuum sacrum trieterica consecratione componunt, omnia per ordinem facientes quae puer moriens aut fecit aut passus est. Vivum laniant dentibus taurum [2]), crudeles epulas annuis commemorationibus excitantes, et per secreta silvarum clamoribus dissonis eiulantes fingunt animi furentis insaniam, ut illud facinus non per fraudem factum, sed per insaniam crederetur: praefertur cista, in qua cor soror latenter absconderat, tibiarum cantu et cymbalorum tinnitu crepundia, quibus puer deceptus fuerat, mentiuntur. Sic in honorem tyranni a serviente plebe deus factus est qui habere non potuit sepulturam. Fuit etiam alius Liber apud Thebas tyrannus [3]), magicae artis potestate conspicuus. Hic cum muliebres animos venenis quibusdam et carminibus occupasset, pro arbitrio suo crudelia facinora furentibus imperabat, ut mente captas nobiles feminas et libidinum ministras haberet et scelerum. Qui qualia fecerit scelera, vel quantum matri contra filium vel sororibus contra fratrem imperaverit facinus, in scenis quotidie a tragici carminis auctoribus traditur, ut scelerati tyranni facinorosa crudelitas in animis audientium funestis semper relationibus renascatur. Hunc Lycurgus [4]) sobria virorum coniuratione protectus regno exuit, pellit patria; neque enim effeminatus ille consensum virorum potuit diutius sustinere. Effeminatum enim fuisse et amatorum servisse libidinibus Graecorum gymnasiis decantatur. Nec fuga eius Lycurgus tantum est exilioque contentus, sed timens, ne fugiens et ab aliis receptus ludibriosa scelerum suorum etiam in alia regione conderet semina, succinctus ferro patriae de-

---

1) Lactant. I, 21. Creuzer Symb. III, 514. 2) Cf. Suid. et Hesych. s. v. *Ταυροφάγος ὁ Διόνυσος*, et v. quae adnotavi ad Arnob. V, 19. 3) Cf. de hoc Cic. l. l. Hom. Il. VI, 130 sqq. Hygin. Fab. 132. Apollod. III, 5. et Heyne ad II, p. 571 sqq. 4) V. Zoegae Diss.: Lycurgos von den Maenaden bezwungen, et Welckeri additamenta ad eam. —

decus minaci persequitur edicto. Tunc Liber proiectis infulis, quas pampineis coronarum circulis illigabat, cum semiviro comitatu fugiens (soli enim eum sequuti sunt stuprorum et flagitiorum et libidinum socii) per omnes oras vicini maris cum summa trepidatione desperationis erravit. Illic inter ebrias puellas et vinolentos senes cum adhuc eum scelerum pompa praecederet, et alter nigro amictu teter, alter ostenso angue terribilis, alter cruentus ore dum viva pecoris membra discerpit [1]), a Lycurgo comprehensus per proximam rupem, quae immensum praecipitium saxis inviis fecerat, in mare praecipitatur, ut lacerum corpus marinis diu iactatum fluctibus errantium populorum animos ad sanitatis ac sobrietatis ordinem severa animadversione revocaret. Hunc finem Liberi Homerus [2]) ut fugam et trepidationem detegeret et ut ostenderet mortem ait:

— — — *Διώνυσος δὲ φοβηθεὶς*
Δύσεθ' ἁλὸς κατὰ κῦμα. Θέτις δ' ὑπεδέξατο κόλπῳ
Δειδιότα· κρατερὸς γὰρ ἔχε τρόμος ἀνδρὸς ὁμοκλῇ.

Imitatur te, Lycurge, et sobrium tuum institutum sequitur nec a salutaribus tuis legibus exorbitat etiam consul noster Posthumius. Nam sicut in libris Annalibus invenimus, Bacchanaliorum scelera Aebutio quodam adolescente deferente detecta sunt [3]). Erant adhuc in urbe Roma integri mores nec quisquam peregrinas superstitiones dissolutis moribus appetebat: tunc nec Senatus consuli nec leges Reipublicae nec consul legibus defuit, sed investigatis omnibus qui huius sacri scelerata commenta tradebant, contra omnes servos, imo Romanos quaestionis examine capitalis poena de Senatus sententia decreta est. Nec tamdiu vindices gladii consulis conquierunt, quamdiu hoc malum fuisset radicitus amputatum. O digna Romano nomine animadversio! O priscae virtutis laudanda constantia! nec civibus suis consul parcere voluit, cum ob purgandam patriam peregrina vitia corriguntur.

7. Sequitur hanc sacri contagionem et imitatur ordinem funeris a Cerere, Hennensi muliere [4]), mors filiae

1) Cf. Arnob. l. l. Tzetz. ad Lycophr. v. 143. 2) Homer. Il. VI, 135 sqq. 3) Liv. XXXIX, 8 sqq. ubi v. Drakenb. Cf. Tertull. Apol. c. 6. et Barth. ad Stat. Theb. II, 74 et 77. —

4) In Trinacriae finibus natam dicit Arnob. I, 36. Hanc quo-

consecrata. Nam quicquid in Creta pater ob filium fecerat, hoc totum Ceres apud Hennam amissa filia impatientia materni doloris instituit, quod quatenus factum sit, brevi sermone perstringam. Unicam Cereris filiam, quam Graeci *Περσεφόνην* 1), nostri immutato sermone Proserpinam dicunt, ad coniugale consortium plures petebant. Mater sollicite de singulorum meritis iudicabat, et cum adhuc omnibus matris sententia videretur incerta, dives rusticus, cui propter divitias *Πλόντων* 2) fuit nomen, temerario cupiditatis ardore, cum moram dilationis ferre non posset et cum de praeposteri amoris conquereretur incendiis, prope Pergum 3) inventam virginem rapit. Pergus autem lacus in Hennae civitatis finibus satis amoenus et gratus, cuius amoenitas ex florum varietatibus nascitur; nam per omnem annum vicissim sibi succedentibus floribus coronatur. Illic invenies quicquid hyacinthi turget in caulem, illic comam narcissi vel quod auream rosam desuper pingit, illic albae hederae per terram molliter serpunt et cum purpureis violis suaviter rubens amaracus invenitur, nec coronam istam alba 4) deserunt lilia; prorsus aptus locus, qui gratia sua puellares animos et invitaret et teneret. In hoc loco cum a Plutone virgo prope vesperam fuisset inventa, vi rapitur 5) et superimposita vehiculo scissis vestibus, laceratis crinibus ducitur. Nec reservati 6) ungues contra amatorem rusticum aliquid profuerunt, nec clamor atque ululatus adiuvit nec ceterarum strepitus puellarum. Tunc una celeri cursu, cum de civitate nemo succurreret, facta ex ipso timore velocior matri raptum virginis nunciat. Contra raptorem indignata mater armatam manum ducit. Nec Plutonem mulieris fefellit adventus, sed ut retorsit ad civitatem oculos et infinitos cuneos respexit venire cum matre, funestum cepit ex desperatione consilium, quadrigam, quae vehiculum trahebat, per medium lacum dirigit; is erat profundis voraginibus immersus. Illic cum amata submersus

---

que narrationem Firmicum ex Euhemero hausisse suspicor. Münter.
1) Persephonam ed. pr. 2) Pluton ed. pr. 3) Percum edd. aliquot cum ed. pr. De Pergo lacu cf. Ovid. Met. V, 385. Claudian. de Raptu Proserp. II, 112. et ibi Intt. 4) albam edd. aliquot mendose. 5) Apollod. I, 5. ibique Heyne. Diod. Sic. V, 3. Ovid. Fast. IV, 420 sqq. Hygin. Fab. 146. Arnob. V, 24. et ibi Intt.
6) Lepide. Dicit ungues a puella reservatos tamquam arma in ca-

virgine miserandae matri de morte filiae funestum spectaculum praebuit. Hennenses, ut possent maternis luctibus ex aliqua parte invenire solatium, inferorum regem virginem rapuisse finxerunt, et ut fides figmentum sequeretur, prope Syracusas eum pėr alium locum cum virgine emersisse iactarunt. Templum sane et raptori et virgini accurate collatis sumptibus faciunt et annua in templo vota decernunt; sed nullo genere matris dolor vincitur nec muliebris impatientiae tormenta curantur. Sed credens vere filiam prope Syracusas esse visam, Triptolemo villico suo duce nocturnis itineribus ad Syracusanae civitatis littus cum lugubri veste ac sordido squalore pervenit, nec *illic* [1]) defuit qui credulam de calamitatibus suis falleret matrem. Tunc ait se Pandarus nescio quis vidisse non longe a Pachyno navem raptorem ascendisse cum virgine. Persuasum est mulieri, quae, *quia* [2]) quolibet genere vivere filiam cupiebat audire, infinitis dotibus remunerat civitatem. Syracusani liberalitate mulieris provocati raptum virginis consecrant et mitigantes dolorem matris pompam miseri funeris excolunt honore templorum. Sed nec hoc sufficit matri, sed ascensa navi per peregrina littora filiam quaerit. Sic fluctibus tempestatibusque iactata ad Atticae urbis locum pervenit [3]). Illic hospitio recepta, incolis incognitum adhuc triticum dividit. Locus ex patria et ex adventu mulieris nomen accepit; nam Eleusin [4]) dictus est, quod illuc Ceres relicta Henna venerat. Sicque tum ipsa, dispensatio quod attulerat frumenta [5]), tum quod colligendarum frugum tradiderat disciplinam, post mortem ob beneficium, quod ex frugum copia nascebatur, et sepulta in eo loco est [6]) pariter et consecrata et divino cum filia appellata nomine.

---

sus periculi. 1) illi edd. omnes. 2) quae quoquolibet ed. pr. unde emendavi quae quia quolibet. In cett. edd. quae quolibet. 3) V. Arnob. V, 25. et ibi Intt. — De voc. Ἐλευσίς origine idem testatur Auctor Etym. M. s. v. 4) Sic ed. pr. In cett. edd. Eleusis legitur. 5) Emendandum arbitror: ipsa dispensatione vel potius: ob ipsam dispensationem; et in seqq. fortasse corrigendum frumenti. Münterus post voc. disciplinam tale quid putat excidisse: causa ei cultus divini fuit, atque p. m., aut voc. dispensatio delendam esse. 6) De Cereris in Eleusine sepulchro nihil apud scriptores legitur. Noster ex Euhemero hausisse videtur. Münter. — In seqq. ed. pr. pro nomine habet numine, ut paulo infra item numinibus pro nominibus.

Amat enim Graecorum levitas eos, qui sibi aliquid contulerint, vel qui consilio aut virtute se iuverint, divinis appellare nominibus, et sic ab ipsis beneficiorum gratia repensatur, ut deos dicant et deos esse credant qui sibi aliquando profuerint. Sic de Libero Nisa [1]) non dubitat nec de novis ambigit Sparta sideribus [2]), cremat et consecrat Herculem tristis Oeta [3]) et a vanis Cretensibus adhuc mortui Iovis tumulus adoratur [4]). Additur tamen, sacratissimi Imperatores, ad huius profani erroris augmentum, quod hos homines, id est Liberum et Proserpinam [5]), maiore quasi auctoritate defendat. Nam Liberum ad Solem volunt referre commenta Graecorum [6]), Proserpinam vero Liberam dicentes Lunam esse confingunt [7]). Quod quam absurdum et quam miserum sit ex ipsa veritatis possumus ratione colligere. Quis vidit puerum Solem? quis fefellit? quis occidit? quis divisit? quis membris eius epulatus est? Quis Lunam rapuit? quis abscondit [8])? quis Plutonis coniugem fecit? Sed et errorem istum physica rursum volunt protegere ratione: indivisam mentem et divisam, id est *τὸν ἀμέριστον καὶ τὸν μεμερισμένον νοῦν* [9]) hac se putant posse ratione venerari. Dicite mihi, o vos mortales, quid naturalibus rebus additis funera? quid Dei dispositionem crudelium mortium atrocitate polluitis? quid opus erat tam duro crudelique tormento? quid sibi vult ista persuasio, ut divinis rebus funestae calamitatis ordo societur? ut naturae siderum, quam Deus summus certis legibus fecit, mortalis calamitas luctibus iungeretur? Cui rei prodest quod facitis? miscetis terrena caelestibus, caduca superis, tenebrosa lucentibus, dolores ac luctus hominum divinis honoribus consecrantes.

---

1) Diod. Sic. I, 15. et ibi Wesseling. Cic. N. D. III, 25. et ibi Creuzer. Arnob. V, 28. et Intt. ibi. Cf. Commodiani Instr. 12. Creuzer Symb. III, 122 sqq. cf. IV, 237. 2) Dioscuris. 3) Oetas edd. omnes. — V. quae dedi ad Arnob. IV, 25. 4) Theoph. ad Autolyc. I, 15. II, 3. Athenag. c. 26. Tatian. c. 44. Orig. c. Cels. III, 43. Tertull. Apol. c. 25. Lactant. I, 11. Arnob. IV, 25. (ubi v. quae adnotavi) Creuzer Symb. IV, 427. Ennii Frr. p. 323. ed. Hessel. 5) Verba: id est — — Proserpinam editores uncinis incluserunt, Wowerum secuti, qui pro gloss. habet. Male, ut recte iam iudicavit Hildebr. ad Apulei. I, p. 42. 6) Macrob. Sat. I, 18. 7) Creuzer Symb. IV, 188. 220. 8) abscondidit cj. Münter. 9) Ex philosophia Neo-Platonica. V. Procl. Inst. Theol. c. 199. p. 160. et c. 171. p. 254. ed. Creuzer. —

8. Si convocato omni genere humano Sol habita concione loqueretur, desperationem vestram hac forsan oratione percuteret. Quis vos caduci homines et per dies singulos summo Deo variis generibus rebellantes ad hoc tantum facinus impegit, ut profano nefariae cupiditatis errore et mori me dicatis vestro arbitrio et vivere? Atque utinam usitato more vel uno genere vesanae cogitationis vestrae figmenta procederent, utinam sine contumelia mei sceleratae cogitationis vestrae grassaretur improbitas. Nunc vosmet per praecipitia iactantes mihi quoque non parcitis nec aliquam habet vester sermo reverentiam, sed cum dedecore meo in exitium vestrum mortemque properatis. Alii me apud Aegyptum undis Nili et rapidis verticibus [1]) obstinato mentis furore submergunt, alii amputatis virilibus plangunt, alii crudeli morte caesum aut in olla decoquunt aut septem verubus corporis mei membra lacerata subfigunt [2]): qui paululum mihi placida fuerit oratione blanditus, quadriiugi currus aurigam me esse confingit. Proiicite aliquando tanti furoris exitium et salutari persuasione convicti veram salutis viam quaerite. Inimicus Dei est qui haec aut cogitavit aut finxit, nec facinus eius simplex aut usitata poena comitatur, qui sacra profanis persuasionibus polluit, qui de praeclaro opere Dei tanta confinxit. Lugete mortuos vestros, et ipsi simili morte morituri, mittite regibus vestris ut vultis inferias et orbitates eorum alio remediorum genere mitigate, lugete Liberum, lugete Proserpinam, lugete Attin, lugete Osirin, sed sine nostrae contumelia dignitatis. Nolo me per tumulos eorum favillasque ducatis, nolo et errori vestro nomen meum fomenta suppeditet. Ad lucem diei a Deo factus sum, hoc mihi sufficit solum. Quid me honesti muneris dignitate privatis? Aliud me Deus fecit, aliud esse iussit, et vos me pro libidine vestra dividitis [3]), pro arbitrii vestri cupiditate la-

---

1) vorticibus cj. Wower, praeter necessitatem. — Verba Firmici pertinent ad eos, qui Solem idem cum Osiride numen esse contendunt. Macrob. Sat. I, 21. 2) Clem. Alex. Protr. c. 2. p. 15. cf. Iustin. Mart. Apol. I, 29. Arnob. V, 9. et I, 41. Euseb. Praep. Evang. II, 15. Hygin. Fab. 167. Quod septem verua memorantur recte Münter rationem quaerit in eo quod septenarius numerus mysticus est. 3) Ut Persae Mithra-Mitram, ut Graeci et Romani Apollinem et Solem, putat Münterus. Sed verbum „di-

ceratis? Quicquid sum simpliciter Deo pareo, nec aliud volo de me intelligatis nisi quod videtis. Hoc Deo gratum est, hoc Deus libenter amplectitur, hoc homines ad salutis viam ducit, si proiectis erroribus Dei gratiam simpliciter ac fideliter audiatis. Haec quidem, sacratissimi Imperatores, prosopopoeiaco me sermone dixisse sufficiat. At ego nunc sacrarum lectionum institutione formatus perditos homines religioso sermone convenio. Si Dii sunt quos colitis, cur eos lugetis? cur eos annuis luctibus plangitis? Si lacrimis et luctu digni sunt, cur eos divino honore cumulatis [1])? Unum itaque e duobus facite aut nolite eos lugere, si dii sunt, aut si luctu eos dignos putatis ac lacrimis, Deos eos appellare nolite, ne luctibus ac lacrimis vestris maiestas divini nominis polluatur. Sed quia mens perdita et sceleratae cupiditatis laqueis implicata nulla [2]) potest ratione revocari, persequar cetera, ut publicatis omnibus atque detectis quae profana consecravit improbitas misericordia Dei in nomine Domini nostri Iesu Christi lapsos erigat, fugientes ad se [3]) revocet, dubitantes confirmet, errantes corrigat et, quod est potissimum, vitam morientibus donet.

9. In plurimis Orientis civitatibus, licet hoc malum etiam ad nos transitum fecerit, Adonis [4]) quasi maritus plangitur Veneris et percussor eius circumstantibus vulnusque monstratur. Mars enim in porci silvestris speciem formamque mutatus ut sibi primas partes in amore Veneris vindicaret, incaute contra *se ruentem* [5]) percutit iuvenem. Si deus erat Adonis cur rivalis insidias nesciebat? si homo, cur cum superiore certabat? Sed et alium [6]) audio cum Venere coniugale habuisse consortium. Vulcanus, nisi fallor, ab his deorum cultoribus maritus Veneris esse

---

videre", ut sequens „lacerare", simpliciter potest etiam referre ad mortes Osiridis et Dionysi. 1) Cf. Min. Felic. Oct. c. 21. Clem. Alex. Protr. c. 2. p. 21. Athenag. Leg. pro Chr. c. 12 et 25. et Xenophan. ap. Plut. de Is. et Osir. c. 70. 2) Olim legendum putabam nulla alia, sed retinenda videtur vulgata. Ratio non significat modum, sed considerationem, consilium. 3) a se cj. vir doctus aliquis ad oram mei exempli ed. pr. —

4) V. Lactant. I, 17. Arnob. VII, 33. et quos ibi laudavi. Ovid. Met. X, 710 sqq. et ibi Intt. Macrob. Sat. I, 11. Lucian. de Dea Syr. c. 15. p. 658. Creuzer Symb. II, 95 sqq. 5) contra serentem ed. pr. vitiose. 6) aliud ed. pr. vitiose.

perhibetur. O vanorum hominum ridenda persuasio! inter duos maritos adulter positus ab uno capitur, alterum vincit. Sed vide, ut adulter deus maritum vinceret, quod sibi corpus elegit: porcus esse maluit qui, si habebat corporis mutandi potestatem, leonis debuit potius speciem formamque suscipere. Sed leonem dicunt qui naturas animalium norunt in illa agrestis animi feritate pudicitiae servare virtutem; merito igitur ab adultero leonis spernitur forma et libidinosi animalis eligitur. Hic iam Evangelicae traditionis secreta tractemus. Eiecto daemonio dominus porcorum gregem donat [1]). Nec immerito, ut cum libidinosis animalibus per dura praecipitia fluctusque iactatus per mortes porcorum varias digna nece immundus spiritus carperetur.

10. Audio Cinyram [2]) Cyprium templum amicae meretrici donasse, (ei erat Venus nomen) initiasse etiam Cypriae Veneri plurimos, et vanis [3]) consecrationibus deputasse, statuisse etiam, ut quicunque initiari vellet secreto Veneris sibi tradito *assem in* manum [4]) mercedis nomine deae daret. Quod secretum quale sit omnes taciti intelligere debemus, quia hoc ipsum propter turpitudinem manifestius explicare non possumus. Bene amator Cinyras meretriciis legibus servit: consecratae Veneri a sacerdotibus suis stipem dari iussit ut scorto.

11. Sebazium colentes Iovem [5]) anguem cum initiantur per sinum ducunt [6]). Adhuc primi erroris [7]) vitia

---

1) Matth. VIII, 31. 32. Marc. V, 13. Luc. VIII, 32. 33. —

2) Clem. Alex. Protr. c. 2. p. 12. Lact. I, 17. Theodoret. de Curand. Gr. Affect. diss. III, p. 767. ed. Schulz. Iustin. Hist. XVIII, 5. Lucian. de Dea Syr. c. 16. p. 659. Ennii Frr. p. 325. ed. Hessel. Arnob. IV, 24. ubi v. quae adnotavi. 3) navis ed. pr. 4) asse manum ed. pr. assem in manum cett. edd. ex emend. Woweri. assem unum mercedis vel assem annuum cj. Ios. Scaliger. — De re cf. Arnob. IV, 24. Spanh. ad Callim. p. 60. Münter: der Tempel der Himml. Göttin in Paphos p. 17. —

5) Sebazius Iuppiter haud raro obvius est in marmoribus vett., ut ap. Gruter. p. XXII. V. de eo Creuzer Symb. III, 444 sqq. Sainte-Croix II, p. 93. Welcker Anh. zu Zoega Abhandl. p. 401. et me ad Arnob. V, 21. Adde Lobeck Aglaoph. tom. I, p. 296 sqq. p. 642 sqq. et tom. II, p. 1046 sqq. 6) Clem. Alex. Protr. c. 2. p. 14. ed. Potter. Iustin. M. Apol. I, p. 45. Arnob. V, 21. et ibi Intt. 7) Genes. c. 3.

grassantur, et quicquid hominem perdidit colitur et funesti anguis callida et malitiosa crudelitas adoratur [1]). In sacris Corybantum parricidium colitur [2]). Nam unus frater a duobus interemptus est, et ne quod indicium necem fraternae mortis aperiret, sub radicibus Olympi montis a parricidis fratribus consecratur. Hunc eundem Macedonum colit stulta persuasio. Hic est Cabirus [3]), cui Thessalonicenses quondam cruento cruentis manibus supplicabant [4]). Considerandum itaque est [5]) quale sit numen, quod parricidalis amentia ut parricidium *coleret* [6]) invenit.

12. Quapropter [7]) quicunque haec sacra devota mente veneratur, cuicunque placet superstitionis istius metuenda contagio, aut malis suis solatium quaerit aut facinora eorum tacita collaudat cogitatione, hoc optans, hoc quaerens, hoc utique magnopere desiderans, ut et sibi liceat quod diis suis licuit, ut et se ad consortium talis vitae morum similitudo perducat. Adulterio delectatur aliquis [8]): Iovem respicit et inde cupiditatis suae fomenta conquirit, probat, imitatur et laudat, quod deus suus in cygno fallit, in tauro rapit, ludit in satyro [9]) et, ut liberalis in flagitiis esse consuescat, quod inclusam regiam virginem auro largiter fluente corruperit. Puerorum aliquis delectatur amplexibus: Ganymedem in sinu Iovis quaerat, Herculem videat Hylam impatienti amore quaerentem, Hyacinthi desiderio captum Apollinem discat, Chrysippum alius, alius Pelopem videat, ut per deos suos sibi licere dicat [10]) quicquid hodie severissime Romanis legibus vindicatur [11]).

1) Hic vulgo incipit caput XII. 2) Creuzer Symb. II, 41 et 767 sqq. Sainte-Croix I, 79. Lobeck Aglaoph. II, 1139 sqq. Clem. Alex. l. l. c. 2. p. 15. et vide quae suppeditant Intt. ad Arnob. II, 1139 sqq. 3) Gabirus ed. pr. 4) Lactant. I, 15. Eckhel. Doctr. Nummor. Vett. II, p. 77. 5) h. e. considerari hinc potest. 6) celaret ed. pr. In cett. coleret. —

7) Priores editores hic incipiunt cap. XIII., unde nec in sequentibus meae editionis capitum descriptio congruit cum numeris capitum reliquarum editionum. 8) Cf. Iustin. M. Apol. I, 9. Arnob. IV, 26. (ubi de singulis v. quae congessere Intt.) Clem. Al. Protr. c. 2. p. 27. Athanas. c. Gr. c. 12. 9) Antiopen. Ovid. Met. VI, 110 sqq. Hygin. Fab. 8. Apollod. III, 5, 5. Schol. Apoll. Rhod. IV, 1090. Nonn. Dionys. VII, 123. XVI, 232. 10) dicat h. e. dicere possit. Fuerunt qui discant mallent. — Cf. Athenag. c. 9. ibique Lindn. Athanas. adv. Gr. c. 25. Tertull. Apol. c. 11. 11) Praeter alias Firmicum putat Münterus proxime re-

Adulteria omnia eorum enumerare difficile est. Quis Amymonen, quis Alopen, quis Menalippen, quis Chionen Hippothoenque corruperit [1])? Nempe deus vester haec fecisse memoratur. Ille, quem volunt severis oraculis errantium hominum peccata corrigere, Steropen amat, Aethusam rapit, Zeuxippen stuprat, quaerit Prothoen et Arsinoae adultera cupiditate blanditur. Sed ex isto corruptarum mulierum grege una puella amatorem deum et vitavit et vicit. Daphnen [2]) enim divinans deus et futura praedicens nec invenire potuit nec stuprare. Muliebria patitur aliquis et effeminato corpori solatium quaerit? Videat Liberum amatori suo post mortem etiam promissae libidinis praemia imitatione flagitiosi coitus repraesentantem [3]). Si quis monstruoso cupiditatis ardore in paternae necis armatur exitium, a Iove [4]) sumat exemplum; qui fraternum desiderat sanguinem, Corybantum sequatur institutum, et incestum desiderantibus a Iove sumantur exempla: cum matre concubuit [5]), sororem duxit uxorem, et ut integrum facinus impleret incesti, filiam quoque [6]) animo corruptoris aggressus est. Inferiores aliquis *aemulos rigore* [7]) persequitur et adversarium cupit crudeli feritate torquere? ab Apolline ex Marsiae [8]) casibus crudelium tormentorum casus discat. Alienum aliquis desiderat et hoc cum morte domini conatur implere? videat ut Hercules occiso Geryone [9]) Iberas abegerit boves. Si quis promiscua hominum caede gaudet, praeposteras Martis cupiditates diligenter inspiciat. Semina paene omnium scelerum a diis [10]) suis peccantium turba collegit, et ut perditus animus im-

---

spicere leges Constantini M. de matrimon. Cod. Theod. III, tit. 16. IX, tit. 7. Cod. Iustin. IV, tit. 39. V, tit. 27. 1) Sic ed. pr. In cett. corrupit. — De Chione, quam Arnobius l. l. non commemorat, v. Ovid. Met. VI, 301 sqq. Pro Hippothoenque ed. pr. habet Hippogoemque, et in seqq. pro Aethusam praebet Aethissam. 2) Ovid. Met. I, 490 sqq. Hygin. Fab. 203. 3) Clem. Alex. Protr. c. 2. p. 29. Arnob. V, 28. ubi v. quae suppeditant Intt. 4) Qui patrem regno privavit. Fabula notissima. 5) V. Arnob. V, 9. rem fuse narrantem. 6) Proserpinam. Tatian. c. 16. Nonn. Dionys. VI, 157. Arnob. V, 21. et ibi Intt. 7) aemulo stridore edd. omnes, quod emendavi. Hildebr. ad Apul. I. p. 649. cj. aemulo rigore vel aemulo fervore. 8) Apollod. I, 4. Hygin. Fab. 165. Ovid. Met. VI, 384 sqq. et Fast. VI, 703 sqq. 9) Apollod. II, 5. 10) a piis ed. pr.

pune facinus posset admittere, ex praecedentibus facinorum exemplis maiore se autoritate defendit. Si stupri praemia corruptor inquirit, si viam optat sollicitationis addiscere, in sinu corruptae mulieris aurum videat Iovis; si publicus parricida commissam sibi regni custodiam nefaria prodere cupiditate desiderat, respiciat ad eos, qui Saturnum filio prodiderunt [1]). Quatenus ius laedatur hospitii vel quatenus amicitiae iura turbentur vel quatenus mensae conciliatio sancta violetur, si quis [2]) ad iniuriam pronus quaerit, esse ordinem scelerum de Tantali casibus discat. O facinorosae cupiditatis triste solatium! O hominum deflenda persuasio! O infelicis imitationis cruenta meditatio! *Scenam* [3]) de caelo fecistis et errantes animos per abrupta praecipitia crudeli calamitate duxistis, cum hominibus peccare cupientibus facinorum via de deorum monstratur exemplis. Sed in ista criminum lege [4]), in ista confessione scelerum gratias agamus illis, qui etiam exitia et mortes deorum istorum nobis nescientibus prodiderunt, ut disceremus omnia per *totos annos* [5]). Fuit enim et apud veteres, licet nondum terram illuminasset Domini nostri Iesu Christi veneranda dignatio, in spernendis superstitionibus religiosa constantia. Diomedes pudicus ac sobrius Venerem vulnerat, Martem vincit et percutit [6]). Oti et Ephialtae edicto Mars belli potens temporali exilio damnatus ferrea catenarum vincula sustinuit [7]). Sarpedonem filium mortuum in Troia Iuppiter plangit [8]), et mercedem fabricatorum murorum Neptunus a superbo rege non re-

---

1) V. Aeschyl. Prometh. v. 205 sqq. et Tzetz. ad Lycophr. v. 869. 2) violetur. Si quis edd. omnes, qua interpunctione omnem sententiam tolli cuivis in plano erit. Pro esse olim emendandum putabam iste. — De proditione Tantali v. Diod. Sic IV, 77. Hygin. Fab. 124. 3) Coenam ed. pr. mendose. Firmicus expressit verba Clem. Protr. c. 4. p. 52. „*οἴμοι τῆς ἀθεότητος, σκηνὴν πεποιήκατε τὸν οὐρανὸν καὶ τὸ θεῖον ὑμῖν δρᾶμα γεγένηται.*“ — In seqq. ed. pr. mendose praebet abruta pro abrupta. 4) h. e. sanctione. 5) sc. vitae singulorum deorum. Edd. omnes praebent per tot obstantes, quod quum sensum aptum non praeberet facillima emendatione correxi per totos annos. 6) Hom. Il. V, 883 sqq. Clem. Alex. Protr. c. 2. p. 31. Tertull. Apol. c. 14. Min. Fel. Octav. c. 22. Longin. *π. ὕψους* c. 9. Gregor. Naz. Or. IV. in Iulian. Arnob. IV, 25. 7) Hom. Il. V, 385 sqq. Hygin. Astron. II, 40. Arnob. IV, 25. ubi v. quae adnotavi. 8) Hom. Il. XVI, 459 sqq.

cepit [1]). Alterius regis Apollo greges pascit [2]), et soli omnia videnti alius [3]) occisarum boum nunciat mortes. Castores sepelit Sparta [4]), ardet apud Oetam Hercules et Aesculapius alibi fulminatur [5]), Vulcanus a patre praecipitatus pedem frangit [6]), Lycurgum fugiens Liber moritur [7]), Venus in adulterio deprehensa detegitur [8]) et post dei nuptias Anchisae hominis cubile sectatur [9]), Saturnus regno timens devorat filios [10]). Hic ex Creta fugiens in Italia a Spartanis [11]) absconditur. Ob amorem Catamiti Iuno spernitur [12]), et ad Endymionem Luna descendit [13]), et contra voluntatem uxoris et filiae Troianis auxilium ferens deceptus Iuppiter dormit [14]). O flagitiosa confessio! o miserabiles deflendique cultus! o durae servitutis miseranda condicio! Ad istorum cultum deorum sanctos homines et Deum devota mente colentes sacrilegum tyrannorum traxit imperium, et ut huic facinori aliud facinus adderetur, mors est decreta nolentibus [15]). Ad theatrum potius templa transferte, ut in scenis religionum istarum secreta tradantur, et ut nihil praetermittat improbitas, histriones facite sacerdotes; alter dignior locus religionibus istis inveniri non poterit. Illic amores deorum vilis turba decantet,

---

1) Hom. Il. XXI, 443 sqq. et ibi Eustath. 2) Hygin. Fab. 50. Cf. Tatian. Orat. ad Gr. c. 35. Commodian. Instr. XI. 3) Lampetia. Hom. Od. XII, 374. 4) Pausan. III, 15. Arnob. IV, 25. — De Hercule in Oeta ardente v. quae dedi ad Arnob. IV, 25. 5) Münter. citat Iust. M. Apol. I, 29. Tertull. Apol. c. 14. Min. Fel. Oct. c. 21. Apollod. III, 10. Hygin. Fab. 49. Pind. Pyth. III, Antistr. 3. ap. Clem. Alex. c. 2. p. 25. Theodoret. de Cur. Affect. Gr. disp. III, tom. IV, p. 767. ed. Schulz. V. Intt. ad Arnob. IV, 24. 6) Hom. Il. I, 590 sqq. Tertull. c. 14. Arnob. 7) V. supra c. 6. Münterus suspicatur Firmicum haec ex Euhemero repetivisse. 8) Ovid. Met. IV, 170 sqq. Min. Fel. Oct. c. 22. Hom. Od. VIII, 277. Winkelm. Monum. Antich. 27. 28. p. 34. 9) V. Intt. ad Arnob. V, 27. 10) Apollod. I, 1. et ibi Heyne. 11) Malim Sicanis vel Sacranis (cf. Serv. ad Aen. VII, 796.) Alii cj. Iano patre. Vulgatam defendit Lobeck Aglaoph. II, p. 1147. — De re v. quae adnotavi ad Arnob. IV, 24. 12) cantamiti ed. pr. — Ovid. Met. X, 155 sqq. Arnob. IV, 26. 44. et Intt. 13) Apollod. I, 7. et ibi Heyne. 14) Hom. Il. XIV, 352 sqq. Min. Fel. Oct. c. 22. 15) Hertz in Diss. de Iul. Firm. Mat. (Hauniae 1817. 4.) hunc locum intelligit de persecutione a Sapore in Christianos mota. Sozom. H. E. II, 1—13. Cassiod. Hist. Trip. III, 2. Sed rectius Münterus et simplicius putat respici persecutiones quibus Impp. Romani ante Constantini M. imperium Chri-

illic casus mortesque *saltent* saltatores, *illis* deorum [1]) in templis ab impiis et facinorosis magistris melius mens perdita et muliebris docetur facinus.

13. Discite etiam, sacrosancti Imperatores, venerandum Alexandriae numen unde sumpserit exordium ac a [2]) communi nostra fragilitate detecta ad veritatis exordium mortalitatis nostrae sermo revocetur. Cum ingrueret arescentibus frugibus malitiosa fames, Iacobi religiosi patriarchae semine procreatus iuvenis Ioseph interpretatusque somnium regis totum quicquid innuebat ostendit [3]). Ioseph est, Iacobi filius [4]), qui ob pudicitiam in carcerem missus, ereptus post interpretationem somnii fuit particeps regni. Nam septem annorum collectis et servatis frugibus alterius septennii [5]) egestatem divinae manus providentia mitigavit. Huic post mortem Aegyptii patrio gentis suae instituto templa fecerunt, et ut iustam dispensationis gratiam posteritas disceret, *quo modio* [6]) esurientibus et ementibus frumenta diviserat, *capiti is* [7]) superpositus est. Nomen etiam, ut sanctius coleretur, ex primo autore generis accepit. Nam quia Sarae pronepos fuerat, ex qua nonagenaria [8]) Abraham indulgentia Dei susceperat filium, Serapis [9]) dictus est Graeco sermone, hoc est *Σαρᾶς ἄπο*. Sed hoc invito Ioseph accidit, imo mortuo; neque enim ad hoc facinus religiosus animus et Deo summo dicatus adduci potuisset,

---

stianos vexarunt. 1) mortesque saltatores. Illic Deorum ed. pr. quod sanavi. Cett. edd. omnes faciunt cum ed. pr., nisi quod lacunae signum post voc. saltatores in eis apparet. Wowerus (vel potius Scaliger) locum supplendum ita putabat: mortesque saltatores exhibeant: illis deorum.

2) Münter. cj. ut a, quod non opus est. — Dicit Firmicus: veram, Imperatores, nunc exponam Serapidis numinis originem et nominis veriloquium, ut errore eo qui hucusque de illo inter omnes vigebat, detecto, hominum sermo demum ad veritatem revocetur et vera numinis origo cognoscatur. 3) Genes. cap. 41. Pro innuebat fortasse legendum imminebat. 4) Verba: est Iacobi filius editores uncinis incluserunt, suasore Wowero, qui pro glossemate habuit. 5) septemnii ed. pr. 6) quomodo ed. pr. 7) cupitis ed. pr. — De modio capiti Serapidis imposito v. Gerhard. Antike Bildwerke p. 25 sqq. cf. p. 28. 8) Genes. cap. 21, 2. 9) *Σάραπις* cj. Hildebr. ad Apul. I, p. 1017. quem cf. Mutare quicquam non sum ausus. — Idem nominis Serapis veriloquium proferunt Suid. s. v. *Σάραπις*, et Paulin. Nolan. Natal. XI. Sti. Felicis v. 100. Cf. Plutarch. de Is. et Osir. c. 29.

ut erroris illecebras ex nomine suo superstitiosis hominibus ipse praeberet, praesertim cum sciret haec esse in Dei sacrosanctis legibus, ne quis hominum tale aliquid aut veneraretur aut coleret. Hic in Aegypto colitur, hic adoratur, huius simulachrum neocororum [1]) turba custodit et ad memoriam vetustatis errans populus ordinem sacrorum in honorem integerrimi ac prudentissimi hominis constitutum contentiosa hodie animositate custodit. Sed et in ipso [2]) simulachro, sicut in ceteris, ex assiduis sacrificiis immundi daemonum spiritus colliguntur [3]). Nihil enim operantur animae et cruor ex assidua pecudum caede profusus, nisi ut daemonum substantia, qui Diaboli procreatione generantur, ex isto sanguine nutriatur [4]); nam ita esse Porphyrius defensor Stoicorum, hostis Dei veritatis [5]), in multis sceleratarum impietatum scriptis manifestis nobis probationibus prodidit. In libris enim quos appellat *περὶ τῆς ἐκ λογίων φιλοσοφίας* [6]) maiestatem eius praedicans de infirmitate confessus est; in primis enim librorum partibus id est in ipsis auspiciis positus [7]) dixit: *Serapis vocatus et intra corpus hominis collocatus talia respondit.* Dicant nunc mihi perditi homines, quis potior est: qui vocat et imperat

---

Zoega de Orig. et Usu Obeliscor. p. 306. Creuzer Symb. I, 312 sqq. Kopp ad Mart. Cap. II, §. 191. p. 236. 1) Marmor. Farnes. ap. Gruter. p. 314. 1.: „*Ο ΠΡΕCΒΥΤΑΤΟC ΤΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΤΟΥ ΜΕΓΑΛΟΥ CΑΡΑΠΙΔΟC.*“ V. de Neocoris Eckhel. Doctr. Numm. Vett. IV, p. 288 sqq. 2) Fortasse emendandum: ipsius. 3) Cf. Min. Fel. Oct. c. 28. Lactant. II, 15. 16. Tertull. Apol. c. 21. Cyprian. de Idol. Van. c. 4. 4) Nidore ex sanguine et carne hostiarum exorto numina nutriri communis fuit veterum populorum persuasio. Porphyr. de Abstin. II, 42. p. 182. ed. Goens. Lucian. de Sacrif. c. 9. Aristoph. Avv. v. 183 sqq. et v. 1513 sqq. Hinc quoque ad Christianos transiit, idem de daemonibus statuentes. Athenag. c. 22. Iustin. M. Apol. II, c. 6. Min. Fel. Oct. c. 27. Cf. Clem. Alex. Protr. c. 2. p. 35. Arnob. VII, 3. Tertull. c. 22. ubi v. Haverk. Arnob. VII, 3. (Münt.). — In seqq. ed. pr. habet Nam ista esse. 5) Sic ed. pr. In cett. Dei et veritatis. 6) Sic ed. pr. in cett. *περὶ τῆς εὐλογίων φιλοσοφίας*. Perperam. Opus Porphyrii dudum deperditum. V. Luc. Holsten. de Vita et Scriptt. Porphyrii c. IX, p. 55. (Fabric. Bibl. Gr. IV, 3. p. 270.) Creuzer Symb. I, p. 215. 7) Haec verba e glossa irrepsisse putat Wower. — Pro positus fortasse reponendum est positis. — Verba Porphyrii Münterus rectissime putat referenda esse ad sanationes miraculosas et inprimis ad incubationes illas, de quibus Strabo XVII, 1, 17. (tom. VI, p. 533. ed. Tzschucke) et Cic.

et includit, an qui vocatur et paret et, cum venerit, in suscipientis hominis corpore potestate iubentis includitur? Gratias agimus, Porphyri, quod libris tuis deorum tuorum nobis substantiam prodidisti. Didicimus per te, quatenus dii tui hominibus viventibus serviant. Serapis tuus ab homine vocatur et venit, et cum venerit, statim iussus includitur et loquendi necessitas nolenti forsitan imperatur. Sic apud nos deos vestros, cum hominibus nocere coeperint, religiosi sermonis flagella castigant [1]), sic in corpore hominum constituti dii vestri verbo Dei spiritualium flammarum igne torquentur, et qui apud vos quasi dii coluntur, apud nos religiosae fidei medela Christi gratia humano subiacentes imperio et tormenta repugnantes sustinent et victi poenis ultricibus subiugantur.

14. Penates [2]) etiam qui sint explicare contendam, ne quid a me sit praetermissum. Qui nihil aliud putant esse vitam nisi vescendi et putandi licentiam, hos sibi deos ex cupiditatis suae humilitate finxerunt, nutrimenta corporis, quae ex quotidianis epulis comparantur, hoc nomine pro salute hominum consecrantes. Quia per epulas corporis reficitur infirmitas, alimenta solum esse Deum sanxerunt, nescientes divini oraculi veritatem. Cum enim Dominus noster Iesus Christus cum Diabolo pro nostra salute sollicitus divina maiestatis suae colluctatione certaret, et ut de faucibus eius quem gerebat hominem liberaret, hac eum responsione quassavit. Nam cum diceret ei Diabolus: *Si filius Dei es, fac ut isti lapides panes fiant* [3]), respondens ei Dominus dixit: *Non in pane tantum vivit*

---

de Div. II, 59. 1) De exorcistis Münterus citat: Orig. Homil. 24. in Ios. Tertull. Apol. c. 23. Min. Fel. Octav. c. 24. (ubi cf. Intt.) Cyprian. de Idol. Van. c. 4. ad Demetrian. p. 191. ed. Fell. et Epp. 78. et 191. Lactant. II, 15. V, 21. Arnob. I, 46. Prudent. Apotheos. v. 438. Routh. Reliqu. Sacr. I, 416. Bingham. Origg. Eccl. II, p. 19 sqq. —

2) De diis Penatibus v. Hertzberg in libro de Diis Romanor. Patriis (Hal. 1840.) p. 62 sqq. Ierem. Müller Diss. de Diis Rom. Laribus et Penatibus. Hafn. 1811. Klausen Aen. II, 636 sqq. Müller Etrusk. II, 81 sqq. Hartung Rel. d. Röm. I, 71 sqq. Creuzer Symb. II, 747 sqq. et ad Cic. N. D. II, 25. — In seqq. pro qui sint nonnullae edd. praebent qui sunt. 3) Matth. IV, 3. Luc. IV, 3. Fac unice extat apud Firmicum. In reliquis Codicibus et Patribus, qui Antehieronymianam habent Matthaei et Lucae

homo, sed in omni verbo Dei[1]). Nescientes itaque substantiam generis humani quotidianas epulas hoc nomine consecrarunt. Nam omne quo vescuntur homines penus vocatur; hinc et cella penaria, hinc et dii Penates ab abiectis et prostratis hominibus misera sunt cogitatione composita. Vesta autem quid sit discite, ne putetis antiquum aliquid aut cum summo terrore inventum: ignis est domesticus, qui in focis quotidianis usibus servit. Quapropter coquos habeat, non miseras virgines sacerdotes, quae contemnentes ignis ipsius favillas aut *prostituto*[2]) corpore peccare coguntur, aut in virginitate perseverantes perdunt honestam gloriosi nominis[3]) dignitatem.

15. Palladii[4]) etiam quid sit numen audite: simulachrum est ex ossibus Pelopis factum. Hoc *Abaris*[5]) Scytha fecisse perhibetur: iam quale sit considerate quod Scytha barbarus consecravit. Estne aliquid apud Scythas humana ratione compositum, et illa effera gens hominum[6]) et crudeli atque inhumana semper atrocitate grassata in constituendis religionibus rectum aliquid potuit invenire? Simulachrum hoc Troianis avarus[7]) vendidit, stultis hominibus vana promittens. Vendebatur deus, ut prodesset emptori, et emptor suppliciter adorabat quicquid paulo ante viderat subhastatum. Substantia autem simulachri ipsius

---

versionem, legitur dic, et in seqq. pro Non in pane tantum habent Non in pane solo. Maxim. Taurinensis consentit cum Firmico. V. Sabaterii Bibl. Sacror. Latin. Versiones Antiqu. III, p. 277. (Münter.) 1) Luc. IV, 4. 2) pro constituto ed. pr. vitiose. 3) Virgines Vestales de nobilibus tantum familiis lectas esse in vulgus notum est. V. Gell. I, 12. Aliter Münterus, adnotans: perdunt gloriosi nominis dignitatem, quia caelibem vitam non Deo sed impurae daemoni Vestae consecraverant. —

4) Clem. Alex. Protr. c. 4. p. 41. ed. Pott. Arnob. IV, 25. ubi v. quae adnotavi. Ossa Pelopis appellare videtur humerum illum eburneum, quem Ceres loco eius quem in epulo a Tantalo Diis parato parum cauta, quum Proserpinam amissam lugeret, comederat, Pelopi restituit. V. Serv. in Virg. Georg. III, 7. Lycophr. Cassandr. v. 152. Hygin. Fab. 83. Pausan. I, 13. 5) avarus edd. omnes praeter Münteri, qui ex sagacissima emend. Ios. Scaligeri Abaris recepit. De Abaride v. Lobeck Aglaoph. I, p. 314. Intt. ad Platon. Charm. p. 158. Creuzer Symb. II, 242 sqq. 6) Voc. hominum pro gloss. habet Wower. 7) Hic item Abaris cum Scaligero reponere non sum ausus. Bene enim potest avarus nuncupari is, qui rem futilem et inanem pretio vendit, hominum stul-

ex ossibus Pelopis est. Si humana vis miseros homines ossa venerari, purioris saltem et castioris hominis reliquias collige; accedat idolo quod facis ex hominis virtutibus meritum. Pelops in deliciis amatoris fuit [1]) et diu prostituti pudoris damna sustinuit. Sed nec adulto ei scelus defuit. Is enim, cuius filiam petebat, eum fraude proditoris occidit [2]): proditorem etiam ipsum periuriis aggressus est, et ne promissa redderet praemia, hunc eundem per abrupta praecipitia iactavit. En cuius electa sunt ossa, ut deus fieret qui urbes et regna servaret. Sed nec servavit aliquando nec profuit, et quid se maneat, ex urbium, in quibus fuit, casibus vidit [3]). Incensa est Troia a Graecis, a Gallis Roma, et ex utroque incendio Palladium reservatum est [4]). Sed reservatum non propriis virtutibus, sed humano praesidio: ab utroque enim loco homines liberant et translatum est, ne humano flagraret incendio; tanto numini humana fuerunt praesidia necessaria, et ne arderet, humanum quaesivit auxilium. Dilatum est Palladium ab incendio, non liberatum. Stat sententia, manet poena, ignis imminet, ignis urget, quem vitare non poterit [5]). Iam parturit flamma caelestis, iam divinae animadversionis monstratur adventus, iam futurae cladis nunciatur exitium; in hoc incendio Palladium latebras invenire non poterit. Ignis iste scrutatur abdita, quaerit absconsa, et quicquid errantes homines vanis persuasionibus perdidit, rapida flammarum populatione complectitur: *Venit enim* (inquit) *dies Domini ut ardens clibanus* [6]). Audisti quid veniat. Nihil est quod ex te collectum in apothecis dominicis reponi possit: ardebis ut stipula, cuius inanis vilitas in cineres favillasque servatur, quam rapax ignis violentia conge-

---

titiam in suum commodum vertens. 1) Neptuni. Pind. Olymp. I, 38. Tatian. adv. Gr. c. 42. Arnob. IV, 26. Cf. supra c. 12. 2) Haec fabula a solo Firmico narratur. 3) Pars edd. videt. — 4) Liv. V, 40. Ovid. Fast. VI, 437 sqq. 5) Itaque quum Firmicus haec scriberet, Constantino et Constante Impp. incolume adhuc permanebat. Fabulae enim sunt quae I. Malala et Auctor Chron. Alex. ex traditione Byzantina referunt, Constantinum M. simulacrum hoc Byzantium translatum in foro ab eo nuncupato defodisse. V. Io. Georg. Röser de Palladio p. 290. (in Io. Chr. Martini Thesauro Dissertt. Tom. II. Part. I. Norimb. 1765.) 6) Malach. IV, 1. Hanc lectionem solus habet Firmicus. V. Sabater. II, p. 1011.

niti spiritus pascitur. Hic est exitus finisque vester, haec est poena, quam pro deceptis hominibus Deus statuit, ut perpetuis ardeat flammis qui contra voluntatem Dei miserum hominem aut decepit aut perdidit. Volo sane diligenter inquirere, cuius Minervae hoc volunt esse signum; plures enim Minervas fuisse constat, nec aliquis in ista parte dissentit. Singularum itaque genus, institutum, artem propositumque dicamus, ut ex his omnibus inveniri possit, Palladium cuius Minervae sit nomine consecratum.

16. Quinque Minervas fuisse legentibus nobis tradit antiquitas [1]). Una est Vulcani filia, quae Athenas condidit, quam ex agrestibus locis ad urbanae conversationis ordinem rustica turba comitata est. Fuit alia in Aegypto, Nili regis filia [2]), textrinae artis magistra. Tertia vero patre Saturno genita est: sed hanc viraginem fuisse commemorant; nam nunquam se intra foeminei sexus verecundiam tenuit, sed arma semper strepitumque pugnarum et cruenta sequuta est studia bellorum. Quarta Iovis Cretici regis fuit filia, quae occisum patri detulit Liberum. Quinta Pallante patre et Titanide [3]) matre orta est, quae patris appellata nomine Pallas est ab hominibus nuncupata. Haec parricidalis amentia furoris et vesanae temeritatis instinctu patrem Pallantem crudeli morte iugulavit, nec simplici patris morte contenta, ut diutius malis suis frueretur et ut de morte patris crudelius triumpharet, exuviis [4]) corporis eius ornata est, ut parricidii facinus ex crudeli ostentatione publicaret. Huius est palladium, proh nefas, nomine consecratum. Haec est Pallas quae colitur, haec est quae pontificali lege servatur et cuius facinus severius damnari debuerat, eius imago suppliciter adoratur. Apponite ignem, augete flammas, ut quotidianis sacrificiis vestris dicatur ardere. Quid enim meretur aliud parricida, nisi ut per-

---

1) De his Minervis, quae in seqq. Firmicus recenset, v. omnino Cic. N. D. III, 25. ibique Creuzer. Arnob. IV, 16. et ibi Intt. Clem. Alex. Protr. c. 2. Cf. Epiphan. Ancorat. p. 513. 2) Intt. ad Arnob. l. l. Iablonsky Panth. Aegypt. I, 53 sqq. Zoega Abhandl. p. 191. 3) Sic ed. pr. prob. Davis. ad Cic. N. D. l. l. p. 626. ed. Creuz. Cett. edd. omnes praebent Tritonide ex emend. Ios. Scaligeri. Sed Titanidem vocat etiam Clemens l. l. et Ampel. c. 9. 4) V. Clem. Alex. l. l. Cic. l. l. et Arnob. l. l. Ampel. l. l. Heraclid. Pont. Alleg. Hom. p. 73. ed. Schow. et Tzetz. ad Lycophr.

petua mutatione flammarum ante sententiam Dei quotidie flammis ultricibus concremetur? Busta sunt, sacratissimi Imperatores, appellanda non templa [1]), rogi sunt potius dicendi miserorum: nam in honorem hominum perditorum aedes pro sepulchris miseranda hominum servitus facit. Hic crematorum corporum favillae servantur, hic cineres mortuorum irreligiosa lege conduntur, ut acerbarum mortium casus quotidiano victimarum sanguine recrudescat, ut tristis lamentationis exitus renovatus annuis luctibus renascatur, ut sopitos fletus recentior ululatus exagitet, ut parricidia vel incesta vel mortes ex sacrorum ritu misera mens hominum et colere discat et facere. Amputanda sunt haec, sacratissimi Imperatores, penitus atque delenda et severissimis edictorum vestrorum legibus corrigenda, ne diutius Romanum orbem praesumptionis istius error funestus commaculet, ne pestiferae consuetudinis convalescat improbitas, quicquid hominem Dei [2]) conatur perdere ne diutius in terra dominetur. Nolunt quidam et repugnant et exitium suum prona cupiditate desiderant: sed subvenite miseris, liberate pereuntes, ad hoc vobis Deus summus commisit imperium, ut per vos vulneris istius plaga curetur. Facinoris eorum periculum scimus, erroris notae sunt poenae, sed melius est, ut liberetis invitos, quam ut volentibus concedatis exitium. Aegrotantes contraria delectant, et cum corpus hominis adversa valetudo possederit, contra salutem suam a laborantibus perversa poscuntur. Capta mens languoris vitio morborum semper augmenta desiderat et medelas artificum *aspernata* contemnit [3]), respuit remedium medicinae et in exitium suum prona animositate festinat. Tunc si malum morbi fortius creverit, maiora remedia quaeruntur et pro salute hominis sollicita fortius se medicina opponit. Asperi cibi, amari potus nolentibus ingerentur [4]), et si convaluerit malum, et ignis adhibetur et ferrum. *Sic* homo [5]) recepta sanitate et salute

---

v. 355. 1) Cf. Intt. ad Min. Felic. Octav. c. 8. 2) Hertzius putat Firmicum hanc denominationem mutuatum esse ex Timoth. I, 6, 11. et II, 3, 17. 3) aspernatas contemnit ed. pr. et Münter. In cett. aspernat ac contemnit. Recepi meam emendationem. 4) Sic ed. pr. quod mutare non sum ausús. In cett. edd. extat ingeruntur. 5) Si homo ed. pr.

sibi reddita quicquid aegrotantis corporis vitio invitus passus est, hoc totum pro utilitate sua factum esse stantis animi iudicio confitetur.

17. Accipite etiam, sacrosancti Principes, nomina eorum qua sunt ratione composita. Lumen hoc, quod hominibus iussu Dei fugatis tenebris diem reddit, quod per duodecim horarum spatia cursus sui ordinem dirigit, Solem dici volunt; non quia solus est, ut quidam volunt, quia ibi et caelum est et luna et alia plurima sidera quae videmus, ex quibus quaedam una serie et cohaerentia perpetua simulque copulata lucent, alia toto sparsa caelo vagos cursus suis metiuntur erroribus: sed ideo Sol appellatur, quia cum ortus fuerit, obscuratis ceteris sideribus luceat solus [1]. Luna etiam haec eadem Lucina a nocturno lumine nomen accepit. Hanc etiam quidam dici voluerunt Dianam, quod per noctem lucens hominibus alterum pene diem faciat [2]. A natando Neptunum dici voluerunt, ex hoc quod libenter faciebant substantiam nominis figurantes [3]. Terrenam vim omnem atque naturam Ditem patrem dicunt, quia haec est natura terrae, ut et recidant in eam omnia et rursus ex ea orta procedant, quae res opulentiam terrae divitiasque monstravit [4]. Frugum substantiam volunt Proserpinam dicere, quia fruges hominibus, cum seri coeperint, prosunt [5]. Terram ipsam Cererem nominant; nomen hoc a serendis [6] fructibus mutuatum. Ex bellorum casibus Mavors nomen accepit, quasi magna vertat [7]. Minerva similiter bellicum nomen est, quasi aut minuat aut

---

1) De voc. Solis etymo cf. Cic. de N. D. II, 27. et ibi Creuzer. Boeth. de Consol. Philos. V, metr. 2. Varro de L. L. V, 68. ed. Müll. Isidor. Origg. III, 70. 2) Cic. l. l. et ibi Creuzeri adnot. Varro de L. L. V, 69. cf. 68. 3) De Neptuni etymo v. Cic. l. l. et ibi Creuzer. et Wyttenb. Varro de L. L. V, 72. Arnob. III, 31. et ibi Intt. Böttiger Ideen z. Kunstmyth. p. 269. 4) Cf. Varro de L. L. V, 66. Cic. N. D. II, 26. 5) Cic. N. D. II, 26. Isid. Origg. VIII, 11, 60. Varr. l. l. V, 68. Fulgent. Mythol. I, 9. p. 651. ibique Muncker. — Emendandum fortasse: quia fruges, hominibus cum seri coeperint, proserpunt. 6) gerendis cj. Creuzer ad Cic. l. l. p. 312. V. Varr. de L. L. V, 64. Isid. Origg. XI, 11, 61. Arnob. III, 32. et ibi Intt. 7) Cf. Herrmann und Creuzer Br. über Hesiod. p. 202. Payne Knight Prolegg. ad Hom. p. 163. ed. Ruhkopf. Cic. de N. D. II, 26. III, 24.

minetur [1]). Venustas hominum Venus dicta est [2]). Apollinis nomen ex humanis finxerunt casibus sermone Graeco, quasi omnia commissa sibi aut amittat aut perdat [3]). Solem etiam quidam Apollinem dicunt, quia quotidie in occasu constitutus splendorem luminis perdat. Perdere autem Graeci ἀπολλύναι [4]) dicunt. Videtis ut vestros ementitos et fictitios deos turbulentus error excogitaverit, ut superstitionibus anilibus et formae vobis traditae sunt et nomina. Sed haec omnia veritas detexit et ratio sanae mentis invenit, ut investigatis omnibus atque detectis, quae sacrilegus error absconderat, veritatis semita luceret. Haec enim omnia cum essent male composita, terrori primum fuere mortalibus [5]), dehinc consumpta novitate quasi ex longa aegritudine convalescentibus hominibus natus est quidam ex admiratione contemptus. Sic paulatim quod stupebat animus ausus est diligenter inquirere, et statim in arcana fictarum ac vanarum superstitionum sagax misit ingenium. Tunc ex assiduis tractatibus latentium ratione collecta pervenit ad causas, ut profanarum religionum miseranda commenta humanum genus primum diceret, et deinde contemneret, tertio recusaret.

18. Libet nunc explanare quibus se signis vel quibus symbolis in ipsis superstitionibus miseranda hominum turba cognoscat — habent enim propria signa, propria responsa, — quid illis [6]) in istis sacrilegiorum coetibus Diaboli tradidit disciplina. In quodam templo, ut in interiores partes homo moriturus [7]) possit admitti, dicit: *de*

---

1) Cic. l. l. II, 26. et III, 24. et ibi Creuz. Lanzi Saggio di Lingua Etr. p. 199 sqq. 203. 209. Wyttenbach. ad Cic. l. l. p. 754. Isid. Origg. VIII, 11, 71. Macrob. Sat. I, 17. Fest-Paul. s. v. Minerva p. 123. ed. Müller. Arnob. III, 31, et ibi Intt. 2) De Veneris etymo v. Cic. N. D. II, 27. et ibi Creuzeri et Wyttenbachii (p. 788.) adnott. Isid. Origg. VIII, 11, 76. Varro de L. L. V, 62. Arnob. III, 33. et ibi Intt. 3) Cf. Voss. Etymol. s. v. Sol. Plato Cratyl. p. 266. et Etymolog. M. s. v. Clem. Alex. Strom. I, p. 151. Selden. de Diis Syr. II, p. 144. Hesych. s. v. Ἀπόλλων, et Intt. ad eum s. v. Ἀβέλιος. Plutarch. de Inscr. Delph. p. 388. Intt. ad Aesch. Agam. 1089. et Iacobs ad Anthol. Palat. p. 690. — Ceterum pro sibi aut ed. pr. habet sibi ut aut. 4) ἀπόλλειν edd. omnes vitiose. 5) Cf. Petron. Satyr. p. 676. ed. Burm. — Pro male forte reponendum nove. —

6) responsa, quid illis ed. pr. In cett. responsa, quae illis. 7) oraturus cj. Lobeck Aglaoph. I, p. 24. Sed recte

tympano manducavi, de cymbalo bibi et religionis secreta perdidici, quod Graeco sermone dicitur: ἐκ τυμπάνου βέβρωκα, ἐκ κυμβάλου πέπωκα, γέγονα μυστικός [1]). Male miser homo de admisso facinore confiteris: pestiferum veneni virus hausisti et nefario furoris instinctu lethale poculum lambis [2]); cibum istum mors sequitur semper et poena aeterna. Hoc quod bibisse te praedicas vitalem venam stringit in mortem et sedes animae contaminata malorum te continuatione conturbat. Alius est cibus, qui salutem largitur et vitam; alius est cibus, qui hominem summe [3]) Deo et commendat et reddit; alius [4]) est cibus, qui languentes relevat, errantes revocat, lapsos erigit, qui morientibus aeternae immortalitatis largitur insignia. Christi panem, Christi poculum quaere, ut terrena fragilitate contempta substantia hominis immortali pabulo saginetur. Quis est autem hic panis vel quod poculum? De quo in libris Solomonis sapientia magna voce praeclamat, ait enim: *Venite et manducate de meis panibus et bibite vinum quod miscui* [5]). Et Melchisedech, rex Salem et sacerdos summi Dei, revertenti Abrahae cum pane et vino benedictionis obtulit gratiam [6]). Isaac etiam cum Iacob benedixisset, cum hoc idem Esau a patre suppliciter exigeret, respondit ei pater: *Dominum tuum feci illum et omnes fratres eius feci servos, tritico et vino confirmavi illum* [7]). Tunc Esau casus suos misera lamentatione deflevit, quia tritici et vini id est futurae felicitatis perdidit gratiam. Quod

---

Münterus m o r i t u r u s interpretatur m o r t a l i s. V. quae proferunt Intt. ad Horat. Od. I, 28, 4. et Hildebr. ad Apulei. I, 284. 1) De verbis hisce Eleusiniorum mysticis, quae erant τὸ σύνθημα Ἐλευσινίων μυστηρίων, ut ait Clem. Alex. Protr. c. 2. p. 14. v. praeter Silvestri de Sacy notam ad Sainte-Croix I, p. 304. inprimis Lobeck Aglaoph. I, p. 23 sqq. Aliam formulam Eleusiniorum mysticam profert Clem. Alex. c. 2. p. 18. et inde Arnob. V, 26. ubi cf. Intt. 2) Fortasse l a m b i s t i reponendum est; syllabam enim —t i propter primam sequentis voc. syllabam facile potuisse excidere in aperto est. 3) Mihi quidem vix dubium est, quin pro s u m m e, quod hodie omnes edd. tenent, in archetypo Firmici exemplo s u m m o extiterit. 4) a l i u s non comparet in ed. LB. a. 1652. 5) Prov. IX, 5. Fere ut August. de Civ. Dei XVII, 20. 6) Genes. c. XIV, 18. Melchisedecum veteribus Christianis typum fuisse Christi ex Hebr. VII, 1. constat; itaque panis et vini oblatio typus erat eucharistiae. (Münter.) 7) Genes. XXVII, 37.

autem consecratis hominibus a Deo panis divinus iste praestetur, per Esaiam dicit[1]) Spiritus Sanctus: *Sic dicit Dominus: Ecce qui serviunt mihi, manducabunt, vos autem esurietis. Ecce qui serviunt mihi, iucundabuntur, vos confundemini, vos interficiet Dominus*[2]). Non solum panis iste a Deo summo sacrilegis et impiis denegatur, sed et poena promittitur et acerbae mortis decernuntur exitia, ut esurientibus divinae animadversionis exitus ingeratur. Sequuntur etiam hoc idem tricesimi et tertii Psalmi veneranda responsa; ait enim per David Spiritus Sanctus: *Gustate et videte, quoniam dulcis est Dominus. Dulce est caeleste pabulum, dulcis Dei cibus, nec habet in se miserae famis triste tormentum et de medullis hominum praecedentis veneni virus excludit*[3]). Haec ita esse sequentia oraculi responsa declarant; ait enim: *timete Dominum sancti eius, quia non est inopia eis, qui metuunt eum. Divites eguerunt et esurierunt, qui autem inquirunt dominum, non indigebunt omni bono*[4]). Qui sic in templo praetextatus incedis, qui fulges purpura, cuius caput aut auro aut lauro premitur, errorem tuum turpis egestas insequitur et cervicibus tuis onerosum paupertatis imminet pondus. Illum quem[5]) despicis pauperem, largus et dives est, spatium illi Abraham in sinu suo praeparat[6]). Tunc tu per interiecta flammarum ab eo stillantis aquae guttulam postulabis, nec tibi volens Lazarus lenimentum doloris tui aut dare poterit aut impetrare. Singulorum enim pari

1) dici ed. pr. mendose. 2) Esai. LXV, 13. 14. V, 13. ut Cyprian. libro I. Testimon. adv. Iud., et Fulgent. I, 25. v. 14. adv. Monim. Ultima verba: „vos interficiet Dominus a Cypriano praetermittuntur.“ 3) Psalm. XXXIII, (XXXIV.) 9. Cyprian. libro I. Testimon. Augustin. in Psalm. 99.: „Gustate et videte, quam dulcis est dominus.“ Psalmistae haec verba ab antiquis ecclesiae doctoribus quibusdam de Coena Domini mystice fuisse explicata testis est Theodoret. in Psalm. v. 9. (ed. Schulz. tom. I, p. 815.) Quam quidem horum verborum interpretationem Firmici iam aevo usurpatam fuisse innuere videntur ipsius verba infra prolata: „et rursus ipse Christus ut maiestatis suae substantiam credentibus traderet ait“ sqq. 4) Psalm. XXXIII, v. 10. 11. v. 10. fere ut Cyprian. Testim. libr. I. et III. v. 11. „non deficient omni bono“, ut Auctor Operis imperf. in Matth. et Breviar. Mozarabicum. 5) Sic edd. omnes. Emendaverit aliquis: Ille imo quem. — In seqq. pro largus Wower. cj. lautus. Male, si quid iudico. 6) Luc. XVI, 22 sqq. —

gratia merita pensantur: illi vita confertur propter huius saeculi mala, tibi propter huius saeculi bona perpetua tormentorum poena discernitur. Ut autem manifestius diceretur quinam ille esset panis, per quem miserae mortis vincuntur exitia, ipse Dominus sancto venerando ore signavit, ne per diversos tractatus spes hominum pravis interpretationibus fallerentur [1]). Dicit enim in Evangelio Iohannis: *Ego sum panis vitae; qui venerit ad me, non esuriet, et qui in me crediderit, non sitiet unquam* [2]). Item in sequentibus hoc idem simili modo significat; ait enim: *Si quis sitit, veniat et bibat qui credit in me* [3]). Et rursus ipse, ut maiestatis suae substantiam credentibus traderet, ait: *Nisi ederitis carnem filii hominis et biberitis sanguinem eius, non habetis vitam in vobis* [4]). Quare nihil vobis sit cum tympanis, cibo odii [5]), miseri mortales: salutaris cibi gratiam quaerite et immortale poculum bibite. Christus vos epulis suis revocat ad lucem, et gravi veneno putres artus et torpescentia membra vivificat. Caelesti cibo renovate hominem perditum, ut, quicquid in vobis mortuum est, divinis beneficiis renascatur. Didicistis, quid vos facere conveniat; eligite quod vultis: inde mors nascitur, hinc immortalis vita donatur.

19. Dicis etiam: *χαῖρε νύμφιε, χαῖρε νέον φῶς* [6]). Quid sic miserum hominem per abrupta praecipitas, calamitosa persuasio? Quid illi falsae spei polliceris insignia? Nullum apud te lumen est, nec est aliquis sponsus qui hoc mereatur audire. Unum lumen est, unus est sponsus homi-

---

1) Innuit sinistras prophetarum interpretationes. Cf. Iustin. M. Apol. I, 54. 56. 59. Dial. c. Tryph. c. 69. V. Henr. Georg. Clausen Apologetae Eccl. Christianae Antetheodosiani Platonis Eiusque Philosophiae Arbitri. (Hafn. 1817.) p. 81. Min. Fel. Oct. c. 27. Arnob. I, 56. 2) Sic ed. pr. et reliquae omnes praeter Münter. in qua nunquam extat. — V. Ioh. VI, 35. Cypr. Testim. L. I. qui tamen qui venit ad me habet. 3) Haud extat in sequentibus; sunt eadem fere verba, quae modo allegaverat. 4) Ioh. VI, 54. Cypr. de Orat. Dom. et Testim. L. I. et III. 5) Fortasse restituendum cum tympani cibo, cibo odii. Olim putaveram: tympanis et cymbalis miseri. —

6) „Alius symboli vel hymni in sacris cantari soliti admonet lectores ethnicos. E quibusnam mysteriis haustum sit ignoro. Ex Mithriacis forte, cum Sol eo salutetur. Sponsi vero et novae lucis mentio Firmicum inducunt, ut de Christo, quem suae Ecclesiae sponsum et mundi lucem (Ioh. VIII, 12.) venerabantur Christiani,

num, quorum gratiam Christus accepit. Non poteris ad te alienae felicitatis transferre gloriam, nec poteris caelestis numinis splendore decorari. In tenebras squaloresque proiectus es: illic sordes, squalor, caligo, tenebrae, et perpetuae noctis dominatur horror. Si vis ut tenuis saltem tibi splendor luminis luceat, erige vultus et demersos erige oculos et desertis his ad eum te confer qui dixit: *Ego sum lux mundi* [1]); cuius divinis praeceptis continetur, ut in hac terrena conversatione opus nostrum per dies singulos luceat. Lucere autem non potest, nisi immaculata nos conscientiae ornamenta protexerint, nisi integra nos et incorrupta vita commendet: tunc orietur nobis veri luminis gratia, tunc se nobis lucis auctor insinuat [2]), tunc verum lumen et accipere possumus et videre. Sed ut sacrilegae vocis comprimatur improbitas, quis sit vere sponsus sacrarum lectionum oraculis comprobabo, ut probetur sponsum esse Christum, sponsam Ecclesiam, ex quo venerando patri spirituales filii per dies singulos procreantur. In hac probatione arcana prophetarum veneranda pandantur, adsistat nobis sanctorum oraculorum fides. Ioel Divino Spiritu monente sic dicit: *Canite tuba in Sion, sanctificate ieiunium et indicite curationem, aggregate populum, sanctificate Ecclesiam, excipite maiores natu, colligite parvulos lactentes, procedat sponsus de cubiculo suo et sponsa de thalamo suo* [3]). Hoc idem Ieremias simili ratione significat; ait enim cum Hierosolymae truci minatur oraculo: *Et auferam de civitatibus Iudae et de urbibus Hierusalem vocem laetantium, vocem sponsi et vocem sponsae* [4]). Processum sponsi etiam per Psalmos praedicat Spiritus Sanctus. In decimo octavo Psalmo hoc invenitur oraculum; ait enim: *Et ipse velut sponsus egrediens de thalamo suo exultavit, ut gigas, viam currere. A summo caeli profectio eius et decursio eius usque ad summum eius, et non est qui lateat a calore eius* [5]). Secretiora

---

exponat atque ad eum applicet." (Münter.) 1) Ioh. VIII, 12. 2) Sic ed. pr. In cett. omnibus insinuet. 3) Ioel II, 15. 16. Cypr. Testim. L. II. 4) Ierem. XVI, 16. Cypr. Testim. habet: de quadriviis Hierusalem; Firmicus omittit: et vocem gaudentium. 5) Psalm. XVIII, (Hebr. XIX.) 6. 7. Cypr. Testim. L. II. differt tantum una voce profectio, pro quo habet egressio.

pandantur arcana: in Apocalypsi, id est in revelatione [1]), quis sit sponsus inveniemus; ita enim scriptum est: *Veni, ostendam tibi novam nuptam, uxorem agni. Et duxit me in spiritu in montem magnum et ostendit mihi civitatem sanctam Hierusalem descendentem de caelo* [2]). Investigandum est, quid etiam nobis de hac ipsa re tradat Evangelica disciplina; inveniemus enim in Evangelio Iohannis ita esse signatum: *Vos mihi testes estis, quoniam dixi eis, qui missi sunt ab Hierosolymis ad me, quia non sum Christus, sed quoniam missus sum ante ipsum. Qui enim habet sponsam, sponsus est, amicus autem sponsi est qui stat et audit eum et gaudio gaudet propter vocem sponsi* [3]). Huius rei mysterium ostensum est, huius sponsi adventum sapientium virginum chorus expectat, huic praefert lumina pervigili cura sancta virginitas: *expectantibus sponsum* [4]) servis felicium praemiorum promittitur munus. Invenimus enim in Evangelio Lucae: *Sint lumbi vestri praecincti et lucernae ardentes et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando veniat a nuptiis, ut cum venerit et pulsaverit, aperiant illi. Felices servi illi, quos adveniens Dominus invenerit vigilantes* [5]). Ecce venerandorum responsorum oraculis sponsus ostensus est. Quid tu tibi in acerbis casibus constitutus beatum nomen imponis? Si vis liberatus lumen sequi sponsi, proiice errores, et pervigili cura sollicitus praecedentia vitae facinora religiosa devotione castiga: tunc te in nomine suo cum vigilantem invenerit sponsus, cum fidei tuae merita cognoverit, dabit maximum praemium, dabit integrum munus, intrabis cum eo caeli thalamum, videbis regna mundi, et ut eorum particeps esse possis, a piissimo et iustissimo Domino immortalitatis tibi gratia conferetur.

20. Alterius profani sacramenti signum est: *θεὸς ἐκ πέτρας* [6]). Cur hoc sanctum venerandumque secretum ad

---

1) Sic ed. pr. In cett. verba id est in revelatione omissa sunt ex corr. Woweri. Et mihi videntur illa glossam olere, nihilo tamen minus delere non sum ausus. 2) Apocal. XXI, 9—10., ut Cypr. Testim. L. II. 3) Ioh. III, 28. 29. ut Cypr. Testim. L. II. 4) Matth. XXV, 1 sqq. 5) Luc. XII, 35. 36. Cypr. ad Fortun. Testim. II.

6) Mithram in lapide de aestu libidinis generatum scribit Iustin. M. c. Tryph. c. 70., quam eandem fabulam de Phrygio Agdestide narrat Arnob. V, 5. De illa Mithrae generatione praeterea

profanos actus adulterata professione transfertis? Alius est lapis quem Deus in confirmandis fundamentis promissae Hierusalem missurum se esse promisit: Christus nobis venerandi lapidis significatione monstratur [1]). Quid tu ad commaculatas superstitiones furtiva fraude venerandi transfers nominis dignitatem? Lapidem tuum ruina sequitur, et cadentium culminum funesta collapsio. Noster lapis Dei fundatus manu extruit, confirmat, erigit, munit et restaurati corporis gratiam *perpetuo* [2]) immortalitatis splendore condecorat; ait enim de hoc Esaias innuente Spiritu Sancto: *Sic dicit Dominus: ecce ego immitto in fundamenta Sion lapidem preciosum electum, summum angularem, honoratum, et qui crediderit in eum, non confundetur* [3]). In Psalmis etiam simile responsum est; ait enim Spiritus Sanctus in CXVII. Psalmo: *Lapis quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli. Annon factus est iste, et est mirabilis in oculis nostris* [4])*?* Per multos prophetas Spiritus Sanctus nominis istius ordinem monstrat; ait enim Zacharias propheta: *Ecce ego adduco puerum meum, ortus ei nomen est, quoniam lapis, quem dedi coram Iesu, super lapidem ipsum unum, septem oculi sunt* [5]). Sed ut manifestius constet, antiquiora venerandarum le-

---

testantur Hieronym. adv. Iovin. I, p. 149. (tom. IV. Opp. P. II.) Ioann. Lyd. de Mens. III, 26. p. 47. ed. Bekker. Augustin. in Amos III, 9. Commodian. Instr. XIII. Diorphum Mithrae filium item rupem habuisse matrem narrat Plutarch. de Fluv. (tom. II. p. 1163.) V. praeterea Hyde de Relig. Vet. Pers. c. 4. p. 113 sqq. Phil. a Turre de Mithra c. 3. in Monument. Vet. Antii p. 182 sqq. Montefalcon. Antiqu. Explic. Tom. I. P. II, L. IV. c. 4. p. 373 sqq. Creuzer Symb. I, 177. Zoega Abhandl. p. 132. 1) Christum cum lapide componere solemne est vet. ecclesiae Patribus. Sic Iustin. Dial. c. Tryph. saepius, occasione ex Matth. XXI, 42. Marc. XII, 10. Luc. XX, 17. Actor. IV, 11. et Psalm. CXVIII, 22. sumpta. Tertull. adv. Iud. c. 9. In carmine Damasi de nominibus Domini salutatur „Petra", in simili Ennodii Ticinensis „Lapis" et „Mons", in Orientii Illiberitani „Mons" et „Lapis angularis" vocatur. Quae omnia, si tanti est, vide in nostris: Sinnbilder und Kunstvorstellungen d. Alten Christen. Fasc. I, p. 17 sqq. (Münter.) 2) perpetuae, quod praebent edd. omnes, ferendum non videbatur, unde emendavi perpetuo. 3) Esai. XXVIII, 16. Consentiunt haec verba plane cum Cypr. Testim. L. II. 4) Psalm. CXVII, (CXVIII.) 22 et 23. Vers. 22. plane atque in Cypr. Testim. L. II. et Auct. de Iudaica Incred. ad Vigil. Vers. 23. parum differt a Cypriano. 5) Zachar. III, 8. 9. Parum differt a Cypriano.

ctionum secreta pandamus. In Deuteronomio ita comprehensum est: *Et scribes super lapidem omnem legem hanc* [1]). Iesus etiam Nave iussu divinitatis hoc specialiter comprehendit; ait enim: *Et accepit lapidem magnum, et statuit eum contra Dominum. Et ait Iesus ad populum: Ecce lapis iste erit mihi in testimonium, quia iste audivit omnia quae dicta sunt a Domino, quando loquutus est ad vos. Et erit iste nobis in testimonium in novissimo dierum, quando recesseritis a Domino vestro* [2]). Quod autem per hunc lapidem, id est per Dominum nostrum Iesum Christum, et dii isti casuri sint et multitudo templorum aperte Daniel venerandis oraculis explicavit; ait enim, cum interpretaretur somnium regis: *Et ecce imago, imago nimis magna et contemplatio ipsius imaginis metuenda, elata stabat contra te, cuius caput fuit ex auro bono, pectus et brachia eius argentea, venter et femora aerea, pedes autem ex parte quidem ferrei, ex parte autem fictiles, quoadusque abscissus est lapis de monte, sine manibus concidentium, et percussit imaginem super pedes ferreos et fictiles et comminuit eos minutatim, et factum est simul ferrum et testa et aeramentum et argentum et aurum facta sunt minuta quasi palea et ut pulvis in arida aestate, et ventilavit illa ventus, ita ut nihil remanserit in illis. Et lapis qui percussit imaginem factus est mons magnus et implevit totam terram* [3]). Quis locus in terra est, quem non Christi possederit nomen? qua Sol oritur, qua occidit, qua erigitur septentrio, qua vergit auster, totum venerandi numinis maiestas implevit [4]): et licet adhuc in quibusdam regionibus idololatriae morientia palpitent membra, tamen in eo res est, ut e Christianis omnibus terris pestiferum hoc malum funditus amputetur. De idololatrarum lapide, de quo dicunt: θεὸς ἐκ πέτρας, quid Prophetarum respondet oraculum? cui *aut* restitit [5]), vel cui

1) Deuteron. XXVII, 8. Cyprian. l. l. addit verba: manifesta nimis. 2) Iosu. XXIV, 26. 27. Eadem fere refert Cypr. Testim. L. II. 3) Dan. II, 31—35; pauculis exceptis ut Cyprianus. 4) Cf. Arnob. II, 12. et ibi Intt. Moshem. de Reb. Christ. ante Constantinum M. p. 203. 448 sqq. 5) cui autem restitit ed. pr. In cett. quis autem restitit. Neutrum ferri posse videtur, unde cui aut restitit aut cui enim restitit reponendum puto. Persarum lapidem resistendi vim ac potentiam habuisse nullam prae

par sit iste [1]) lapis? Lapis autem hic sanctus, id est Christus, aut fidei fundamenta sustentat, aut in angulo positus [2]) duorum parietum membra aequata moderatione coniungit, id est Veteris et Novi Testamenti in unum colligit gentes, aut certe corporis et animi diversitatem inviolata homini immortalitate consociat, aut legem promulgat, aut contra peccantes testimonium perhibet, aut quod est potius, imaginem Diaboli percutit, ut superato eo atque prostrato et in cinerem favillasque converso erecto sublimitatis suae vertice purum dominationis imperium habeat. Vos nunc Constanti et Constans, sacratissimi Imperatores, et venerandae fidei vestrae imploranda virtus est, quae supra homines erigitur et a terrena fragilitate separatur caelestiumque se rerum societate coniungit, quae in omnibus actibus suis, prout potest, Dei summi sequitur voluntatem. Modicum *tantum* [3]) superest, ut legibus vestris funditus prostratus Diabolus iaceat, ut extinctae idololatriae pereat funesta contagio. Veneni huius virus evanuit et per dies singulos substantia profanae cupiditatis exspirat. Erigite vexillum fidei, vobis hoc divinitas reservavit, cuius favore eminentes prostratores estis omnium hostium vestrorum, quorum opera Romanum firmabatur [4]) imperium. Signum venerandae legis erigite, sancite, promulgate quod prosit: sit faustum felixque Reipublicae quod tot acervos [5]) caesorum hostium prostravistis exercitûm. Felices vos quoque gloriae ac voluntatis suae Deus fecit esse participes: idololatriae excidium et profanarum aedium ruinas propitius Christus populo vestris [6]) manibus reservavit. Ille spiritualibus armis malos spiritus, vos mala terrena vicistis. Erigite tropaea victoriae [7])

---

lapide Christianorum inde probatur, quod religio Christiana per omnes terras ipsis iam primis saeculis propagata erat, paucis tantum in regionibus, ut dicit Firmicus, idololatriae eversae palpitantibus membris. 1) parcit iste edd. omnes, quod sensum aptum non praebet. Hinc corrigendum puto prosit iste vel potius par sit iste. 2) Christus lapis angularis Psalm. CXVIII, 22. Matth. XXI, 42. Marc. XII, 10. Luc. X, 17. Actor. IV, 11. Ep. Petr. I, 2, 7. 3) talium ed. pr. vitiose. 4) Sic ed. pr. Wowerus correxit infirmabatur, quod inde in reliquas edd. transiit omnes. 5) Ita ed. pr. In cett. acervis ex Woweri emend. 6) nostris ed. pr. mendose. 7) Interpretantur signa crucis. cf. XXVIII. Epist. Barnab. c. 9. Iustin. M. Apol. I, p. 82. Dial. c. Tryph. p. 325. et 336. —

et proferatur ingens titulus triumphorum: profanarum rerum strage gaudentes exultate fortius, exultate fidenter. Felicitas vestra cum Dei virtute coniungitur: pro salute hominum Christo pugnante vicistis.

21. Omnia symbola profanae religionis per ordinem suggerantur, ut probemus nequissimum hostem generis humani de sanctis haec venerandisque prophetarum oraculis ad contaminata furoris sui scelera transtulisse. Invenimus enim et ita dici: *῞Ηλιε δίκερως, δίμορφε* [1]). Deus iste vester non biformis est, sed multiformis; in multas enim species veteratoris forma mutatur. Ipse est basiliscus et scorpio, qui fidelium securis vestigiis premitur; ipse malitiosus anguis, cuius caput *quatit* [2]) decepta mortalitas: ipse tortuosus draco [3]), qui hamo ducitur, qui captivus includitur: iste deus vester Lernaei anguis *cervicibus* [4]) adornatur, *videlicet* ut [5]) percusso domino morientium anguium turba succedat. Quid sic renascentibus hydris pullulas? quid te fecunda scelerum sobole componis? Mortis tuae viam didicimus, scimus quibus remediis artis tuae venena vincantur: Christi immortalem sanguinem bibimus, nostro sanguini Christi sanguis adiunctus est. Hoc est salutare remedium

---

1) Edd. cum princ. habent: *ἐλιλικερὲς διμόρφει,* vitiosissime. Wowerus (vel potius Ios. Scaliger) proposuit: *ἑλιξόκερως, δίμορφε* vel potius *῞Ηλιε δίκερως, δίμορφε,* quarum emendationum alteram praeferendam iudicavi emendationi Lobeckii v. d. in Aglaoph. I, p. 24. prolatae: *᾿Ελελεῦ κόρε δίμορφε.* Cornuum enim mentionem fieri in hoc mystico symbolo apparet ex iis, quae paulo infra in h. c. disputat Firmicus. — Symbolum mysteriorum est Bacchi sive Solis. Macrob. Sat. I, 18. Dionysum autem *δικέρωτα* et *δίμορφον* appellat Orpheus Hymn. 29. Cf. Nicandr. Alexiph. 31. Plut. de Isid. et Osir. c. 35. et Quaest. Gr. c. 36. Nonn. Dionys. XXI, 217 sqq. Creuzer Dionys. I, 267. Böttiger Ideen zur Kunstmythol. I, 323. n. 13. Gerhard Prodr. p. 129. 2) Edd. omnes habent quaerit, quod quum non praebeat idoneum sensum, reposui quatit. V. Genes. III, 15. Luc. X, 19. 3) Leviathan. Iob. XL, 20. In Antehieronymiana legitur: „Adduces autem draconem in hamo, pones capistrum circa nares eius.“ Hieronymiana habet Leviathan. 4) Sic emendavi pro crinibus, vitio edd. omnium admodum ridiculo. Cur Solis simulacro dracones addi soleant docet Macrob. Sat. I, 18. 19. Cf. Creuzer Symb. III, 187. Lobeck Aglaoph. I, p. 296. 5) vident ut ed. pr. videns ut cett. edd. sine sensu idoneo, unde videlicet ut reposui. — In seqq. pro succedat olim emendaveram succrescat. Sed non indigemus ca emendatione. —

scelerum tuorum, *quod te leto afficit et* a Dei [1]) plebe mortiferum virus excludit. Quis deum istum, quem plangunt, cum cornibus vidit? quae sunt ista cornua, quae habere se iactat? Alia sunt cornua, quae propheta Sancto Spiritu annuente commemorat [2]), quae tu, Diabole, ad maculatam faciem tuam putas te posse transferre. Unde tibi ornamenta quaeris et gloriam? Cornua nihil aliud nisi venerandum signum crucis monstrant [3]). Huius signi uno extenso ac directo cornu mundus sustentatur, terra constringitur, et e duorum quae per latus vadunt compagine oriens tangitur, occidens sublevatur, ut sic [4]) totus orbis tripartita stabilitate firmatus confixi operis immortalitatis radicis *fundamento teneatur* [5]): hoc secretum nobis venerandum Prophetae oraculum tradidit. Invenimus [6]) enim in Abacuc ita esse perscriptum: *Texit caelos virtus eius, et laude eius plena est terra. Et splendor eius ut lux erit, cornua in manibus eius erunt. Et illic constabilita est virtus gloriae eius et constituet dilectionem suam. Ibit verbum et praecedet secundum gressus suos* [7]). En veneranda crucis cornua! en sanctae virtutis immortale fastigium et gloriosi operis divina compago! Tu, Christe, mundum ac terram extensis manibus, tu caeleste sustentas imperium, tuis immortalibus adhaeret humeris salus nostra, tu Domine aeternae vitae baiulas signum, tu venerando instinctu hoc nobis denuncias per prophetas. Ait enim Esaias: *Ecce natus est nobis filius, imperium super humeros eius, et vocatum est nomen eius magnae cogitationis nuncius* [8]). Haec sunt crucis cornua, quibus omnia et suble-

---

1) tuorum, quotidie afficiat, a Dei ed. pr. In cett. tuorum, quod a Dei. Recepi meam emendationem. 2) Respicit Abacuc. III, 4., ut e sequentibus patet. 3) De cornibus crucis v. August. de C. D. XVIII, 32. Iustin. M. c. Tryph. p. 275 sq. et p. 310. Iren. adv. Haeres. II, 42. (c. 24. ed. Massuet.) Tertull. adv. Iud. c. 10. et adv. Marcion. III, 18. (p. 161.) sqq. Praeterea Münterus citat Henr. Kippingii de Cruce et Cruciariis (Brem. 1671.) Exercit. XIX, p. 131. 4) sit vitiose extat in nonnullis edd. 5) Sic emendavi. Edd. habent fundamenta teneantur. Münter. cj. fundamenta teneat. Tenere h. l. positum pro continere vel fulcire. Immortalitatis radicem dicit crucem. 6) Sic ed. pr. In cett. Inveniemus. 7) Abac. III, 3—5 Pleramque partem concinit cum Cypr. Testim. L. II. 8) Esai. IX, 6. Locus memoriter et breviuscule citatus in ultimis verbis: magnae

vantur pariter et continentur; his cornibus bene hominum nititur vita. Ut Amalech vinceretur extensis manibus Moyses haec imitatus est cornua [1]); ut facilius impetraret quod magnopere postulabat, crucem sibi fecit ex virga [2]). Ad haec cornua festina celeritate properate, ad haec cornua humili veneratione confugite, his vos affigant cornibus iustitia, aequitas, pudicitia, misericordia, patientia, fides, ut veneranda praeferentes insignia consecrati fontis maiestate gaudentes et sepulturae Christi participes sitis et vitae.

22. Aliud etiam symbolum proponimus [3]), ut conamine cogitationis scelera revelentur; cuius totus ordo dicendus est, ut apud omnes constet, divinae dispositionis legem perversa Diaboli esse imitatione corruptam. Nocte quadam simulachrum in lectica supinum ponitur et per numeros digestis fletibus plangitur. Deinde cum se ficta lamentatione satiaverint, lumen infertur: tunc a sacerdote omnium qui flebant fauces unguntur, quibus perunctis sacerdos hoc lento murmure susurrat:

Θαῤῥεῖτε μύσται τοῦ θεοῦ σεσωσμένου,
Ἔσται γὰρ ἡμῖν ἐκ πόνων σωτηρία [4]).

Quid miseros hortaris ut gaudeant? quid deceptos homines laetari compellis? quam illis spem, quam salutem funesta persuasione promittis? quid illos falsa pollicitatione solli-

---

cogitationis nuncius. Conspirat cum Cypr. l. l. Vocem cogitationis Firmicus et Cypr. soli habent. 1) Exod. XVII, 12. 2) Ignoratur unde hoc Firmicus hauserit. De virga quidem Moysis miraculosa multa fabulantur Thalmudistae. Hanc Deus sabbathi vespere creasse et Adamo credidisse traditur, a quo ad Henochum, Noam et Iosephum transierit. Post huius mortem in palatium Pharaonis delatam clam abstulisse Iethronem et in horto suo plantasse; Moysi autem, cum nomen Dei illi inscriptum legere potuisset, denique cessisse. Hoc narratur in libro Midrasch Vaioschah. Cf. librum: Ursprung, Natur u. Fortpflanzung einer heilig. Wissenschaft, Schrift u. Sprache unter d. Stammvätern d. Menschengeschl., oder Erklär. dunkler Fabeln u. Traditionen von Adam, Seth. u. s. w. (Bresl. 1786.) p. 136. Cum Firmicus de virga solummodo loquatur, cogitari haud potest de ligno, in quo serpens aeneus in deserto suspensus erat (Numer. XXI, 8—9.), cui ab antiquo inde tempore, ut typo Christi (Ioh. III, 14.), crucis forma affícta est. (Münter.)

3) Sic ed. pr. In cett. proponamus. 4) Ad quaenam sacra haec verba pertineant, utrum ad Mithriaca, ut Münterus pu-

citas? Dei tui mors nota est, vita non comparet, nec de resurrectione eius divinum aliquando respondet [1]) oraculum, nec hominibus se post mortem, ut sibi crederetur, ostendit, nulla huius operis documenta promisit, nec se hoc facturum esse praecedentibus monstravit exemplis. Idolum sepelis, idolum plangis, idolum de sepultura profers, et miser, cum hoc feceris, gaudes. Tu Deum tuum liberas, tu iacentia lapidis membra componis, tu insensibile corrigis saxum. Tibi habet gratias [2]) Deus tuus: te paribus remuneret donis et sui velit esse participem; sic moriaris ut moritur, sic vivas ut vivit. Nam quod unguento perunguntur fauces, quis non facinus istud despecta vanitate contemnat? Habet ergo Diabolus Christos [3]) suos, et quia ipse Antichristus est, ad infamiam nominis sui miseros homines scelerata societate perducit. Unguentum hoc reserva mortuis [4]), reserva morituris, ut quos laqueis tuis ceperis, eos venenato unguento oblitos lugubri ac funesto semper mergas exitio.

23. Aliud est unguentum, quod Deus pater unico tradidit filio, quod filius credentibus divina nominis sui maiestate largitur. Christi unguentum immortali compositione conficitur et spiritualibus pigmentorum odoribus temperatur. Hoc unguentum a mortalibus laqueis putres hominum artus exuit [5]), ut sepulto primo homine ex eodem statim homine homo alius felicius nascatur. Et ut hoc manifestius explicetur, sacrarum lectionum arcana pandenda sunt. Ait enim David, ut huius unguenti gratiam traderet: *Speciosus forma prae filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis: propterea benedixit tibi in aeternum. Accingere gladium tuum circa femur tuum potentissime. Specie et pulchritudine tua intende prospere, procede et regna. Propter virtutem* [6]) *et mansue-*

---

tat, an potius ad Osiridis vel Adonidis mysteria certe ex his paucis quae Firmicus profert colligi nequit. Pro *Θαῤῥεῖτε μύσται* ed. pr. vitiose praebet *Θάῤῥητε μύστα.* 1) Ita ed. pr. In cett. edd. respondit. 2) Ita recepi ex ed. pr. In cett. edd. habeat gratias. 3) In fronte etiam ungebantur sacrorum Mithriacorum mystae. Tertull. de Praescr. Haeret. c. 40. Zoega Abhandl. p. 178. 4) Plin. H. N. XIII, 1. Intt. ad Minuc. Fel. Octav. c. 12.
5) Hoc loco Firmici firmatur structura verbi exuere cum praepositione ab ap. Arnob. I, 53. 6) virtutem ed. pr. quod no-

tudinem et iustitiam, et deducet te mirabiliter dextera tua. Sagittae acutae potentissimae populi intra te decident in corde inimicorum regis. Sedes tua Deus in saeculum saeculi: virga recta est virga regni tui. Dilexisti iustitiam, odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus tuus oleo laetitiae prae consortibus tuis. Myrrha et gutta et cassia a vestimentis tuis, de aedificiis eburneis, ex quibus te iucunditate affecerunt [1]). Immortalis unguenti secreta pervidimus et divinae nobis dispositionis ordo monstratus est. Regnum perpetuum et caeli diadema domino nostro cum unguenti maiestate collatum est. Quis autem hic sit qui regendi orbis accepit potestatem, qui venerandi nominis maiestate decoratur, aliud nobis monstrat oraculum; ait enim is idem David: *Ut quid fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania. Astiterunt reges terrae et principes convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum eius* [2]). Quid te sic extollis sacrilega persuasio? quid miseros homines effrenata temeritate circumvenis? unguentum Christi caeli donat imperium, unguentum vestrum gehennae suscitat flammas.

24. Sed quod impuro ore sacerdos iste et polluta verborum contaminatione componit, libet diligenti inquisitione discutere. Liberato deo suo bonum animum gerere socios, fiduciam bonae spei habere persuadet. O quam miseris, quam luctuosis se laqueis involvit caduca calliditas! Quis deum tuum liberat? cui hoc praestitit, quod laborat? Disce, disce quod nescis, disce quod non vides. Christus filius Dei, ut humanum genus a mortis laqueis liberaret, omnia ista sustinuit, ut captivitatis durae iugum tolleret, ut hominem patri redderet, ut mitigata offensa hominem cum Deo prospera conciliatione componeret, ut promissae resurrectionis fructum proprio monstraret exemplo, fecit filius Dei quod ante promiserat, clausit ianuas sedis infernae et durae legis necessitatem calcata morte prostravit. Per triduum recensita [3]) ab eo iustorum turba

---

lui temere in veritatem mutare, ut fecerunt editores. 1) Psalm. XLIV, 3—10. In his sacri textus verbis Firmicus a Cypriano aliisque varie discrepat. V. Sabater. 2) Psalm. II, 1—2. Initio differt ab reliquis cum Augustino habens: ut quid. —

3) recens ita edd. Ariolabar olim recens vitâ (h. e. recenter vita donata), vel etiam recens vitae. recensita emen-

collecta est, ne diutius contra eos mortis dominaretur improbitas, ne iustorum meritum ex longa desperatione concideret, fregit claustra perpetua, et ferreae fores Christo iubente collapsae sunt [1]). Ecce terra contremuit et fundamentorum suorum stabilitate concussa praesentis Christi numen agnovit. Ante praefinitum tempus praecipitat diem mundi rotata vertigo et sol non completo diurnarum horarum spatio properato cursu vergit in noctem [2]). Ecce veli fastigia summa finduntur, et obscu-

---

datio est Münteri, qui ad h. l. haec profert: „Agit nimirum de descensu Christi ad inferos. V. Petr. Ep. I, 3, 19. cf. Tertull. de Anima c. 7. et c. 55. Iust. Mart. Dial. c. Tryph. p. 220. ed. Iebb. citat Ieremiae locum deperditum: ἐμνήσθη δὲ κύριος ὁ Θεὸς ἀπὸ Ἰσραὴλ τῶν κεκοιμημένων ἐπὶ γῆς χώματος, καὶ κατέβη πρὸς αὐτοὺς εὐαγγελίσασθαι αὐτοῖς τὸ σωτήριον αὐτοῦ. Eundem habent Iren. adv. Haer. III, 20. 22. IV, 33. V, 43. ed. Massuet. Clem. Alex. Strom. VI, 6. p. 762. Evangel. Nicodemi c. 24 sqq. multique alii, quos recensitos invenies a Dittelmaiero in Hist. Dogm. de descensu Christi ad inferos et in Pottii Exc. ad Petr. Ep. I, 3, 19. de desc. Iesu Christi ad inferos. Iis vero se adiungit Firmicus, qui negabant Christum ex inferno eduxisse incredulos ad meliorem mentem revocatos (August. de Haeres. c. 79. Philastr. haer. 121.) statuebantque nonnisi credentes, qui ex hac vita spe futuri Messiae discesserint, a Christo exinde liberatos esse. Sic quoque inter Latinos Cassiodor. in Psalm. 48. Gregor. M. Epp. l. V. ind. 15. ep. 15. Apud Lactantium et Arnobium huius dogmatis nulla fit mentio. Ex litibus illis Apollinaristicis de humana Iesu Christi anima insigne accepit momentum. Ad illa quoque tempora referenda videtur altera pars Evangelii Nicodemi hunc Iesu Christi ad inferos descensum uberrime narrans. Unum tantum, quod sciam, extat monumentum ecclesiasticum ex media aetate, in quo descensus Christi ad inferos spectandus proponitur. Est vero hoc bulla plumbea Alberti, patriarchae Hierosolymitani (1204—1214.), in cuius aversa Christus animam solutis vinculis ex inferis reducit, comitante et plaudente altera. Adstant duae figurae coronatae, regis, puto, et reginae Hierosolymorum. Epigraphe est: H ANACTACIC. In adversa legitur: † ALBERTUS IEROSOLIMITANUS PATRIARCHA. Edidi hanc bullam in Comment. altera de numis Francorum in Oriente, Actis Soc. Reg. Scientiarum Danicae a. 1821. inserta.“ 1) Münterus citat verba Thaddaei ap. Euseb. H. E. I, 13. Evang. Nicod. c. 21. Euseb. Dem. Evang. IV, 12. Athanas. in Passione et Cruce Domini: Εἶτα ἐκβληθεὶς ὁ ἄθλιος ἀπὸ τοῦ ᾅδου, καθημένος παρὰ τὰς πύλας θεωρεῖ ἐξαγομένους πάντας τοὺς πεπεδημένους τῇ τοῦ Σωτῆρος ἀνδρείᾳ. Procl. Homil. in Dominic. Pass.: Σήμερον πύλας χαλκᾶς συνέτριψε καὶ μοχλοὺς σιδηροῦς συνέθλασεν ὁ καταποθεὶς, ὡς ψιλὸς νεκρὸς, καὶ πυρπολήσας ὡς Θεὸς λόγος. 2) Luc. XXIII, 44.

rioribus tenebris orbem terrarum caligo noctis abscondit [1]): omnia elementa Christo pugnante turbata sunt, tunc scilicet, cum primum contra mortis tyrannidem humanum corpus armavit. Per triduum ista conflictatione pugnatum est, quamdiu mors superatis malitiae suae viribus frangeretur: quid solita impatientia homo religiose, homo Christi desperas et deficis? Tridui moram non fers, sollicitudinem ac desperationem tuam novis precibus confiteris? Hoc te facturum esse illo die Spiritus Sanctus veneranda voce significat, cum per David dicit: *Aestimati sumus sicut oves occisionis. Exsurge quare obdormis Domine? exsurge et ne disperdas usque in finem. Quare faciem tuam avertis? oblivisceris inopiam nostram et tribulationem; quoniam humiliata est in pulvere anima nostra, haesit in terra venter noster. Exsurge Domine, opem fer nobis et libera nos propter nomen tuum* [2]). Ecce post triduum lucidior solito dies oritur, et reddita soli praeteriti luminis gratia. Omnipotens Deus Christus splendidioribus solis radiis adoratur. Exultat salutare numen, et triumphales currus eius iustorum ac sanctorum turba comitatur. Tunc elato gaudio clamat elata mortalitas: *Ubi est mors aculeus tuus* [3])? Tunc praecurrens salutare numen aperiri sibi caelestes ianuas praecipit. Aperite, aperite et immortalia claustra convellite: Christus Deus calcata morte ad caelum hominem, quem susceperat, revocat. Hoc a venerando propheta sancta voce praecinitur *et* ex [4]) ore prophetico vox iubentis auditur; ait enim Spiritus Sanctus, ut nobis potentiam Christi iubentis ostenderet: *Tollite portas principes vestras, et extollite portae aeternales, et introibit rex gloriae* [5]). Hoc angelis nescientibus imperatur: neque enim scire potuerunt, quando verbum Dei descendit ad terram; ideo et ipsi sollicita interrogatione respondent: *Quis est iste rex gloriae* [6])? Quibus quaerentibus perspicua Christus numinis sui maiestate respondit: *Dominus fortis et potens, Dominus potens in*

---

1) Matth. XVII, 51. 2) Psalm. XLIII, (Hebr. XLIV.) 22—26. Parum differt a textu Sabateriano. 3) Ep. ad Corinth. I, 15, 56. 4) ut ex ed. pr. 5) Psalm. XXIV, 7. Al. principis vestri. Sed vestras habent Tertull. adv. Gnost., Cassiodorus, Cypr. Testin. L. II. 6) Psalm. XXIV, 8. Cypr. Testim. L. II. habet: rex claritatis. —

proelio [1]). Cognoscitur statim a custodibus caeli filius Dei, et quicquid illos ante fefellit, agnoscunt. Vident prostrati hostis exuvias, et recordati primae dispositionis ordinem etiam ipsi cum ascendentibus iterata pariter voce conclamant: *Tollite portas qui praeestis illis, et extollite vos, portae aeternae, et introibit rex gloriae* [2]). Reverso filio promissa pater regni sceptra restituit et sellam regni aequa potestate concedit, ut imperet, ut *regnum* teneat [3]), ut perpetua numinis sui maiestate dominetur. Audi quid de illo Danielem Spiritus Sanctus iusserit dicere: *Videbam in visu nocte, et ecce in nubibus caeli quasi filius hominis veniens, venit usque ad veterem dierum et stetit in conspectu eius, et qui assistebant, obtulerunt eum. Et data est ei potestas regia, et omnes reges terrae et regnum et omnis claritas servivit ei. Et potestas eius aeterna, quae non aufertur, et regnum eius non corrumpetur* [4]). Haec eadem nobis sancta revelatione monstrantur; invenimus enim in Apocalypsi ita esse perscriptum: *Et conversus respexi, ut viderem vocem, quae mecum loquebatur, et vidi septem candelabra aurea, et in medio candelabrorum similem filio hominis* vestitum *podere* [5]), *et erat praecinctus supra mammas zona aurea. Caput autem eius et capilli erant albi, velut lana alba ut nix, oculi eius ut flamma ignis, et pedes eius similes aurichalco, sicut de fornace ignea, et vox eius ut sonus aquarum multarum, et habebat in dextera sua septem stellas, et ex ore eius gladius ex utroque acutus, et facies eius splendebat, ut sol in virtute sua. Et cum vidissem, cecidi ad pedes eius tanquam mortuus. Et imposuit dexteram suam super me dicens: Noli timere, ego*

---

1) Ut textus Sabater. Eadem psalmi verba habet Evang. Nicodemi c. 21. 2) Psalm. XXIV, 9. Verba qui praeestis illis solus Firmicus habet. 3) ut imperet, ut regnet, ut teneat edd. vitiose. Recepi Woweri emendationem verissimam. 4) Dan. VII, 13 et 14. Iust. M. in Dial. c. Tryph. p. 87. ab Hebraico aeque ac Graeco LXX. Interpp. textu recedens Tertullianum (c. Iud. c. 14.), Cyprianum atque Firmicum secum traxit. Vers. 13. ita se habet ut apud Cypr. Testim. L. II, qui tamen habet: et qui assistebant ei; vers. 14. praeter verba per genus, et omnis claritas serviet ei non differt. 5) vestitu podere ed. pr. In cett. vestitum podere (praeter ed. Oxon. 1678. quae vestitum pudore habet). De podere v. Isid. Origg. XIX, 21. Cf.

sum primus et novissimus, et vivus, qui fueram mortuus, et ecce sum vivens in saecula saeculorum et habeo claves mortis et inferorum [1]. Post resurrectionem etiam, cum discipulis suis daret certa mandata, immortalium mandatorum ordinem ista lege conclusit: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Ite ergo et docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes eos observare omnia quaecunque praecepi vobis* [2]. Quod autem Deus Pater participem eum regni faciens regalis sellae ei concesserit sedes, hoc docetur oraculo: *Dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos subpedaneum pedum tuorum. Virgam virtutis tuae emittet Dominus ex Sion, dominaberis in medio inimicorum tuorum. Tecum principium in die virtutis tuae, in claritate sanctorum, et ex utero ante luciferum genui te. Iuravit Dominus, nec paenitebit cum* [3]. Hi sunt inimici Dei, sacratissimi Imperatores, qui veritatis ordinem contraria lege conturbant, qui perversae cupiditatis instinctu sacrilega vota concipiunt, qui profanae mentis furore aut lignum semper venerantur aut lapidem. In isto loco positi ordinem debemus sanctae dispositionis aperire, ut quicquid nobis investigantibus sanctum Dei verbum prophetica tradidit disciplina, ad refutandas profani erroris maculas specialiter explicetur, *ac si, ut* nos diximus, *commentiti* sunt qui sacrilegia errantibus tradiderunt, sic a nobis [4] ordo veritatis curiosius requiratur. Suspensis itaque paululum ceteris ad haec explicanda, quae vera sunt, transferatur oratio.

25. Vos, Domini Imperatores, sanctarum aurium

Tertull. adv. Iud. c. 11. (ex vers. Antehieronym. Ezech. IX, 2.). — 1) Apocal. I, 12—18. Minutiis exceptis consentit Firmicus cum textu Sabater. et cum Cypr. Testim. L. II. 2) Matth. XXVIII, 18—19. 3) Psalm. CIX, 1—4. Plerumque concinit cum Cypr. Testim. L. II., excepto v. 3. ubi is habet lectionem Sabater.: in splendoribus sanctorum. 4) explicetur, ne, sicut nos diximus, commenti sunt, qui — — — tradiderunt. Sic a nobis ed. pr. In cett. explicetur, ne * sicut nos diximus, commenti sunt qui — — — tradiderunt. Sic a nobis. Nihil excidit, et verbis ne sicut mutatis in ac si, ut atque puncto sublato post tradiderunt omnia bene cohaerent. Pro vulg. commenti restitui commentiti ex emendatione Münteri.

vestrarum[1]) mihi commodate patientiam, ut totum clementiae vestrae quod promittimus explicemus. Cur Deus, id est filius Dei, homo passus est fieri, brevi ac vera pietati vestrae ratione monstrabitur. Cum hominem primum, id est Adam, ad imaginem suam Deus faceret[2]) certam illi mandatorum dedit legem. Is per feminam, id est Evam, deceptus Diaboli persuasionibus promissae sibi gloriae perdidit dignitatem. Lignum erat in paradiso[3]), quo promissorum a Deo praemiorum perdidit gratiam. De virginis terrae limo homo factus est; nondum enim, ut ait scriptura, supra terram pluerat. Hic contemptis mandatis Dei humanum genus mortalitatis laqueis afflixit. Oportebat hoc totum et reformari et corrigi, et reformatio originis debuit reformare primordia. Ex virginis terrae limo factus Adam praevaricatione propria promissam perdidit vitam. Per virginem Mariam ac Spiritum Sanctum Christus natus et immortalitatem accepit et regnum. Arbor ligni pestiferum deceptis pabulum praebuit[4]); lignum crucis vitam immortali compage restituit. Contempsit Adam, obedivit Deo Christus. Sic divina dispositione quicquid Adam perdidit Christus invenit. Nam post multa tempora novissimis temporum spatiis (id est novissima paene saeculorum hebdomade) verbum Dei humano se miscuit corpori, ut hominem liberaret, ut mortem vinceret, ut fragilitatem humani corporis cum divina immortalitate coniungeret. Quid enim faceret tanta turba sanctorum? quae illis spes salutis? quod meritorum praemium, si sub una eademque condicione sortis ineluctabilibus mortalitatis laqueis etiam ipsa obligata teneretur? Nihil Abel, nihil Enoch, nihil Noë, nihil Sem, nihil Abraham, nihil Isaac, nihil Iacob de Dei sibi misericordia ac maiestate promitterent: irent etiam ipsi post tantum fidei meritum cum ceteris omnibus pariter addictis, et omnes Dei sanctos unum mortis exitium exciperet, nec haberet apud Deum praemium pietas, si una eademque omnes condicio mortis hauriret. Sed Deus Abrahae clarius a caeli sideribus promiserat regnum. Ideo ex genere Abrahae descendens Maria virgo Deum concipit, ut supradictorum hominum soboles immortalis societatis vinculo

1) n o s t r a r u m ed. pr. vitiose. 2) Genes. II, 27. 3) Genes. III, 3. 4) sc. mortem.

iungeretur, sic [1]) humanum genus per hominem pariter et Deum aequata societatis comparatione coniunctum ad immortalitatis imperium obedientiae merito perveniret. Quia itaque, sacratissimi Imperatores, curiosis auribus satisfecimus, reliqua prosequamur, ut vel sic pollutarum aurium sordes purificans possit sermo purgare.

26. Sequitur adhuc aliud symbolum, quod pro magno miserorum hominum credulis auribus traditur: *ταῦρος δράκοντος καὶ δράκων ταύρου πατήρ* [2]). Aliquando nobis signa, Diabole, maculati nominis prodidisti, aliquando infame nomen propria voce confessus es. Scio qui fueris, quid ausus sis, scio quid fecerit scelerum tuorum malitiosa persuasio. Hoc erat, quod Evae, quum eam perderes, magnopere pollicebaris, cum ei diceres: *Eritis quasi Dii* [3]). Tunc parabas tibi ac tuis templa et delubra faciebas et venenati oris illuviem nefariis caerimoniis consecrabas. Serpis in templis et occisarum hostiarum misero pasceris sanguine. Nec venenis tuis cruor defuit nec *semiustae* [4]) crematorum corporum partes, humanarum te etiam victimarum frequenter sanguine cruentasti, et *Latiaris* [5]) templi cruore vel ara Carthaginis [6]) rabies tua et siccarum faucium venena nutrita sunt. Tu haec faciens hominibus te miseris prodesse iactas, ut crudelitate tua perimas, persuasione decipias, pollicitatione prosternas. Sic tuis prospicis parricida. Fugite o miseri homines, fugite et contagionem istam quantacunque potestis celeritate deserite. Draco est, qui colitur; latere non potest, proprietatem nominis sui ipse confessus est: confessum reum poena con-

---

1) iungeretur et sic habent edd. omnes praeter princ. — 2) Clem. Alex. Protr. c. 2. p. 15. Arnob. V, 21. ubi v. Intt. Creuzer. Symb. III, 361. Sainte-Croix II, p. 96. Lobeck Aglaoph. I, 586 sqq. — Ed. pr. habet: *καὶ ταυροῦ δράκων πατήρ.* 3) Genes. III, 5. 4) nec se iniusto ed. pr. mendose. — De re cf. Intt. ad Arnob. II, 68. 5) satiaris ed. pr. quod emendavit Ios. Scaliger. De Iove Latiari v. Intt. ad Minuc. Fel. c. 21. 30. Iust. Mart. Apol. II, 12. Theoph. ad Autolyc. III, 6. Tatian. c. 46. Tertull. Apol. c. 11. et de Spectac. c. 6. et adv. Gnost. c. 7. Lactant. I, 21. Athanas. adv. Gr. c. 25. Rycquium de Capitolio c. 25. Vales. ad Euseb. Or. de Laudib. Constant. M. p. 264. 6) Iust. Mart. Apol. II, p. 128. Athenag. Leg. pro Chr. c. 23. Porphyr. de Abstin. II, p. 150. Curt. IV, 3. Diod. Sic. XIII, 86. XX, 14. Sil. Ital. IV, 770. et Intt. Münter de Relig. Carthag. p. 17 sqq. Movers

sequitur. Audite quid sanctus propheta divina instigatione denunciet. Oraculum hoc Esaiae nobis fides tradidit; ait enim: *In illa die superinducet Deus gladium sanctum et magnum et fortem super draconem, serpentem magnum et tortuosum, et interficiet draconem* [1]). Voluntas Dei perfectio operis, substantia est [2]). Bene draconis lata sententia est: quicquid Deus dixit factum est; morituri draconis hoc solatium est, ut exitium suum frequens perditorum turba comitetur. Si mortis eius dies quaeritur, tunc percussus est, cum hominem Deum vidit, cumque nobis Christi numen apparuit. Post illum diem, qui serpentis huius secutus fuerit institutum, necesse est ut cum serpente moriatur. Deos istos, quos colitis ipse finxit, ipse composuit. Si pertinaces animi vestri in isto errore permanserint, ardebitis etiam vos pariter cum diis vestris, ut quicquid auctores vestri divina animadversione meruerunt, etiam ad vestrum exitium hoc societatis consortio transferatur. Mihi credite: nihil praetermisit Diabolus, quod hominem miserum aut debilitaret aut perderet: ideo *sese* in [3]) omnes formas multiplici diversitate convertit, ideo se diversi generis calliditate composuit, ut variis ac multiplicibus fraudibus homines irretitos interimat [4]).

27. Sacra sua perditus carnifex, proh nefas! per lignum semper renovari disposuit, ut, quia sciebat ita fore, ut ligno crucis affixa vita hominis perpetuae immortalitatis compagine stringeretur, ideo perituros homines ex ligni imitatione deciperet. In sacris Phrygiis, quae Matris Deum dicunt, per annos singulos arbor pinea caeditur et

---

Phöniz. p. 299 sqq. 1) Esai. XXVII, 1. Firmicus differt a lectione Sabateriana ex Hieronymo in Esai. c. 27. hausta nec cum aliis Codd. consentit. 2) Ed. pr. et cett. plurima pars Voluntas Dei perfectio operis substantia est, stigmate post voc. operis posito nullo. In aliis Vol. Dei perfecti operis subst. est. Wowerus cj. Vol. Dei perf. op. sub instantia est improb. Scheffero in Miscell. Observv. Britt. IX, 1, p. 167 sq. qui ipse emendat: Voluntatis Dei perfectio operis subst. est. — Retineo vulgatam et verto: Der Wille Gottes aber ist Erfüllung der That, ist Wirklichkeit. 3) ideo saepe in ed. pr. mendose. 4) Ita ed. pr. In cett. edd. interimeret. Retinui interimat, quum in his sequioris aevi scriptoribus saepissime occurrant eiusmodi contra purioris stili leges peccata; nec temere corrigenda sunt talia. —

in media arbore simulachrum iuvenis subligatur [1]). In Isiacis sacris de pinea arbore caeditur truncus: huius trunci media pars subtiliter excavatur, *illic de segminibus* [2]) factum idolum Osiridis sepelitur. In Proserpinae sacris caesa arbor in effigiem virginis formamque componitur [3]), et cum intra civitatem fuerit illata, quadraginta noctibus plangitur, quadragesima vero nocte comburitur. Sed et illa alia ligna, quae dixi, similis flamma consumit; nam etiam post annum ipsorum lignorum rogum flamma depascitur. Errasti miser, et vehementer errasti: nihil tibi poterit ignis iste prodesse, frustra tibi ex ista flamma blandiris, hunc ignem commentis tuis semper *renovans* [4]). Ignis qui de facinoribus tuis exigit poenas, perpetua tormentorum continuatione grassatur. Divini ac liberantis ligni ordinem disce, ut scias nulla tibi posse ratione succurri. De cataclysmo humanum genus arca lignea liberavit [5]). Deinde Abraham ligna unici filii humeris imponit [6]). De Aegypto recedentem populum Dei plebem lignea virga protexit [7]). Lignum dulcem saporem amarae myrrhae fontibus reddidit [8]). Lignea virga ex spirituali petra salutaris unda profertur [9]), et ut Amalech vinceretur, circa virgam Moyses expansis manibus extenditur [10]). Scalae ligneae patriarcha incumbentem angelum somniat, et per eandem alios ascendere, alios cernit descendere [11]). Et lex Dei arcae ligneae creditur [12]), ut his omnibus quasi per gradus quosdam ad lignum crucis salus hominum perveniret. Quapropter lignum crucis caeli sustinet machinam, terrae fundamenta corroborat, affixos sibi homines ducit ad vitam. Lignum Diaboli ardet semper et moritur et ad ima tartari credentes homines cum favillis suis ducit. Illud etiam quale

---

1) V. Arnob. V, 16 et 39. et ibi Intt. Cf. Ovid. Met. X, 104. Serv. ad Aen. IX, 114. Plin. H. N. XVI, 10, 15. Zoega Abhandl. p. 179. Sainte-Croix I, 85. Creuzer Symb. II, 38 sqq. 2) Illis de seminibus ed. pr. quod emendavi. Cett. edd. habent: Illis de segminibus. Cf. Plut. de Isid. et Osir. c. 21. et 42. 3) Huius ritus solus Firmicus mentionem facit. Cf. Creuzer Symb. IV, 453. Sainte-Croix I, 157. 4) renovas ed. pr. 5) Genes. cap. 7 et 8. 6) Genes. XXII, 6. 7) Exod. XIV, 21. 26. 8) Exod. XV, 25. 9) Exod. XVII, 6. Ep. ad. Corinth. I, 10, 4. 10) Genes. XXVIII, 12. Cf. supra cap. 31. et ibi adnot. 11) Genes. XXVIII, 12. De „liguea“ scala in somno visa ne verbum quidem habet Moyses neque Interpp. Latini. 12) Exod. XL, 20. —

sit ratione tractetur. Arborem suam Diabolus consecrans intempesta nocte arietem in caesae arboris facit radicibus immolari [1]). Quis tibi hoc scelerate persuasit? unde hoc pestifera cupiditate didicisti? Semperne te contra Dominum summum nefaria cupiditate componis? ideo te de caelo severum divinitatis iudicium caduca humilitate praecipitat, ideo tibi Dei sententia perpetua poena decernitur, quod facinoribus tuis per dies singulos novum semper additur facinus, quod hominem Dei fraudulenta conaris persuasione decipere. Vide quid sibi ludibriosus hostis invenerit. Abrahae immolaturo filium iussu Dei aries supponitur et in vicinae arboris radicibus alligatur [2]). Liberaturus Deus summus ex Aegyptiorum tyrannide plebem suam arietem nocte iussit occidi et sanguine eius postes liniri praecepit [3]). Ipsum a certo numero hominum per nocturnas epulas confici iubet et sacrificio ipsi Paschae nomen imponit. Sed hoc ad imaginem futurorum providentia divinae maiestatis invenit, ut per signum verum Pascha nobis ostenderet. Ideo cum de passione Domini nostri Divino Spiritu iubente propheta praecineret, ait: *Sicut ovis ad victimam ductus est et sicut agnus coram tondente se, sic non aperuit os suum. In humilitate iudicium ei sublatum est. Nativitatem eius quis enarravit? quoniam auferetur a terra vita eius* [4]). Alius etiam propheta haec eadem simili respondit oraculo: *Domine significa mihi, et cognoscam; tunc vidi meditationes eorum. Ego sicut agnus sine malitia perductus sum ad victimam. In me cogitaverunt cogitatum dicentes: Venite mittamus lignum in panem eius et eradamus a terra vitam eius* [5]). Agnum autem appellari Dominum nostrum sancta nobis revelatione monstratur. In Apocalypsi enim ita invenimus esse perscriptum: *Et vidi in medio throni et quatuor animalium et in medio seniorum agnum stantem, quasi occisum habentem cornua*

---

1) Ad quaenam sacra hic ritus, cuius Firmicus solus meminit, pertineat ignoratur. An forte de ariete illo lustrali cogitandum est, de quo Cic. Topic. c. 17. et Fest. p. 347. (ed. Müller) s. v. „Subici aries", mentionem faciunt? Cf. etiam Lobeck Aglaoph. I, p. 185. 2) Genes. XXII, 13. 3) Exod. XII, 4 sqq. 4) Ios. LIII, 7 et 8. Parum differt a textu Sabateriano. Vers. 8. convenit fere cum Cypr. Testim. L. II, usque ad verba quae in Cypriano desiderantur. 5) Ierem. XI, 18—19. Plane conspirat cum Cypr.

septem et oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei missi per orbem terrae. Et venit et accepit librum de dextra sedentis in throno. Et cum accepisset librum, quatuor animalia et viginti quatuor seniores prostraverunt se ante agnum, habentes singuli aureas cytharas plenas odoramentis supplicationum, quae erant orationes sanctorum, et cantaverunt novum canticum dicentes: Dignus es accipere librum et aperire signa eius, quoniam occisus es et redimisti nos Deo sanguine tuo ex omni tribu et lingua et populo et natione et nos regnum Deo nostro sacerdotesque fecisti, et regnabimus super terram [1]). Iohannes quoque Filium Dei agni nomine appellat, ut et ipse propheticae pollicitationi respondeat; ait enim in Evangelio: *Altero die videt Iohannes Iesum venientem ad se et ait: Ecce agnus Dei, ecce qui aufert peccata mundi* [2]). Pro salute hominum agni istius venerandus sanguis effunditur, ut sanctos suos Filius Dei profusione preciosi sanguinis redimat, ut qui Christi sanguine liberantur, maiestate prius immortali sanguinis consecrentur. Neminem apud idola profusus sanguis iuverit. Et ne cruor pecudum miseros homines aut decipiat aut perdat, polluit sanguis iste, non redimit, et per varios casus homines premit in mortem. Miseri sunt qui profusione sacrilegi sanguinis cruentantur. Tauribolium vel Criobolium [3]) scelerata te sanguinis labe perfundit.

28. Laventur itaque sordes istae, quas colligis. Quaere fontes ingenuos, quaere puros liquores, ut illic te post multas maculas cum Spiritu Sancto Christi sanguis incandidet [4]). Ut autem miseros homines ad sanam mentem revocet plena persuasio, maiore auctoritate opus est, ut curatis ac sanatis mentibus nullum praecedentis pestilentiae vestigium relinquatur. Quid itaque sunt idola vel quam habeant substantiam, prophetarum oraculis ac divina voce

Testim. L. II. 1) Apocal. V, 6—10. Eadem pauculis exceptis habet quae Cyprianus, in eo quoque cum eo conspirans, quod v. 8. habet: aureas cytharas plenas odoramentis supplicationum omissis verbis intermediis: et phialas aureas. — 2) Ioh. I, 25. 36. Memoriter citatum. 3) V. Fleetwoodii Syllog. Inscriptt. p. 12 sqq. Orelli. Inscriptt. Lat. tom. I, p. 405 sqq. Creuzer Symb. II. 59. IV, 347. Zoega Abhandl. p. 141. Nath. Fried. Kautz. de Taurobolio. (Lips. 1738). —
4) Apocal VII, 14.

monstratum est, quae omnia specialiter dicenda sunt, ut hoc non nostra temeritate prolatum, sed divino magisterio nobis traditum et caelesti agnoscatur voce signatum. Quae sit substantia eius sapientiae veneranda voce monstratur; ait enim in libris Salomonis: *Omnia idola nationum aestimaverant deos, quibus neque oculorum visus est ad videndum neque nares ad percipiendum spiritum neque aures ad audiendum neque digiti manuum ad tractandum, sed et pedes eorum pigri ad ambulandum. Homo enim fecit illos, et qui spiritum mutuatus est finxit illos. Nemo autem sibi hominum poterit Deum formare; cum sit enim mortalis, mortuum fingit manibus iniquis. Melior est autem his quos colit, quoniam quidem ipse vixit, illi nunquam* [1]). Quid amplius quaerimus? sapientia nos divina voce convenit et quicquid in arcanis Dei viderat, docuit, et quod erat salubre, monstravit, ne fragilis et caduca mortalitas in exitium suum mortemque properaret. Hoc idem in Psalmis praemonet Spiritus Sanctus. Invenimus enim in Psalmo CXXXIV. ita esse perscriptum: *Idola gentium argentum et aurum, opus manuum hominum. Os habent et non loquuntur, oculos habent et non vident, aures habent et non audiunt. Neque enim est spiritus in ore ipsorum: similes sunt illis qui faciunt ea* [2]). Si artifex, qui ad ostentationem ingenii simulachrum aut sculpsit aut fudit, divina maledicti animadversione percutitur, quid sperare debeat considerandum est, qui quod alter vendidit, Deum dicit. Hieremias etiam cum praecepta Deo iubente plebi daret, hac populum oratione convenit: *Dicite autem in corde vestro: tibi oportet adorare Domine. Angelus autem meus vobiscum est, legem autem exquiram ab animabus vestris. Lingua eorum polita fabro, ipsa etiam inaurata et inargentata falsa sunt et non possunt loqui: et sicut virgini hortatu amantis accepto auro fabricati sunt coronas supra capita deorum suorum. Est autem quando subtrahent sacerdotes a diis suis aurum et argentum et erogabunt illud in semetipsos. Dabunt etiam*

1) Sapient. XV, 15 et 16. Concordat plerumque cum Cypriano.
2) Psalm. CXXXIV, (CXXXV.) 15—17. Locus fere ut apud Cyprianum, nisi quod Firmicus textum Hebraicum secutus omittit additamentum Psalterii Romani.

ex ipso et prostitutis meretricibus ornabuntque illos ut homines vestimentis, deos argenteos et aureos et ligneos [1]. Addit etiam in sequentibus, ut omnem dubitationem trepidationis excutiat: *Supra corpus eius et caput volitant noctua et hirundines et aves similiter, unde scietis quia non sunt dii. Non ergo timueritis eos. Aurum est, quod circa se habent ad speciem, nisi aliquis exterserit aeruginem, non fulgebit. Neque enim cum conflabuntur sentient; pretio empti sunt in quibus spiritus non est; sine pedibus in humeris portantur* [2]. Addit etiam, ut confirmata mens fortius roboretur: *Scientes itaque ex his quia non sunt dii, ne timueritis eos* [3]. Et ut sacerdotum eorum miserum dedecus monstret, addit: *In domibus eorum sacerdotes sedent habentes tunicas scissas et capita et barbas rasas, quorum capita nuda sunt. Rugiunt autem clamantes contra deos suos, sicut in gehenna mortui* [4]. Quod autem et reges et gentes haec de ipsis pronunciaturi sunt, is idem propheta praesaga voce significat; ait enim: *Scietur postea, quia falsa sunt gentibus universis et regibus, quia manifestum est, quod non sunt dii, et nullum Dei opus sit in ipsis. Regem regioni non suscitabunt neque pluviam hominibus dabunt. Iudicium quoque non discernent, neque regionem liberabunt ab iniuria, quia nihil possunt. Et cum inciderit in domo deorum ligneorum et inauratorum et inargentatorum ignis, sacerdotes illorum liberabuntur, ipsi autem sicut trabes in medio comburentur. Regi autem et bello non resistent, quomodo existimandum est vel recipiendum, quia sunt dii? Neque a furibus neque a latronibus se liberabunt dii lignei et aurati et inargentati, quibus hi, qui fortes sunt, aurum et argentum, quo operti sunt, auferent illis* [5]. Tollite, tollite securi, sacratissimi Imperatores, ornamenta templorum. Deos istos aut monetae ignis aut metallorum coquat flamma. Donaria universa ad utilitatem vestram dominiumque transferte. Post excidia templorum [6] in maius Dei estis virtute provecti:

---

1) Baruch. VI, 5—10. 2) Baruch. VI, 21—24. 3) Baruch. VI, 28. 4) Baruch. VI, 30 et 31. 5) Baruch. VI, 50—57. Haud extant haec in Cypriano. Variantes lectiones haud ita paucas notavit Sabaterius. 6) Legem Constantii et Constantis exhibet Cod. Theodos. L. XVI. tit. 10, leg. 4. Liban. Orat. pro tem-

vicistis hostes, propagastis imperium, et ut virtutibus vestris gloria maior accederet, mutato ac contempto temporum ordine hieme (quod nec factum est aliquando, nec fiet) tumentes ac saevientes undas calcastis Oceani, sub remis vestris incogniti [1]) iam nobis paene maris unda contremuit, et insperatam imperatoris faciem Britannus expavit. Quid amplius vultis? Virtutibus vestris victa elementa cesserunt. Quod autem Deus iubeat idola non fieri, sacrosanctae legis scripta declarant; in Exodo enim sic invenimus esse perscriptum: *Non facietis vobis deos argenteos neque deos aureos* [2]). Et rursus in eodem libro vocem Dei iubentis invenio: *Non facies tibi idolum nec cuiusquam similitudinem* [3]). Pudorem miseris indicit Spiritus Sanctus, quia cupit errantes revocare, non perdere, et ait per Esaiam: *Confundemini confusione qui fiditis super sculptilia, qui dicitis fusilibus: vos estis dii nostri* [4]). Dat etiam legem, quam consecratus populus devota perpetuitate custodiat, et ita mandat: *Dominum Deum tuum adorabis et ipsi soli servies* [5]). Et in Deuteronomio similia Dei mandata noscuntur; ait enim: *Non erunt tibi dii alii absque me* [6]). Addit etiam, ut animis eorum maiestatis suae pondus insinuet: *Videte*, *videte quia ego sum et non est Deus praeter me. Ego interimam et vivere faciam*, *percutiam et ego sanabo, et non est*, *qui eripiat de manibus meis* [7]). In Apocalypsi etiam hoc idem sancta revelatione monstratur; ita enim scriptum est: *Et vidi*

---

plis p. 23. (II. p. 185. ed. Reiske). Cf. etiam Symmach. Epp. X, 54. 1) In edd. male distinguitur sic: calcastis sub remis vestris. Incogniti, quod vitium sensit et indicavit Scheffer. in Miscell. Observatt. Brittan. tom. IX, p. 168. Sed quod in seqq. idem Schefferus legi vult: incogniti etiam vobis paene, parum probatum iri puto doctis viris. — Expeditio Constantis in Britanniam quam h. l. memorat Firmicus, facta est ad initium anni CCCXLIII. p. Chr. Ammian. Marcell. XX, 1. Liban. Or. III. Huius expeditionis extat testis numus aereus maximi moduli, in cuius adversa: BONONIA OCEANEN. Mulier stans in triremi cum clypeo et hastam intorquens in figuram natantem; ad proram triremis Victoria; ad puppim duo signa militaria. Numum exhibet Bandurius Numism. Impp. Roman. II, p. 348. 2) Exod. XX. 3) Exod. XX, 4. Facit cum Cypriano Exhort. ad Mart. 4) Esai. XLII, 17. Parum differt a textu Sabateriano. 5) Deuteron. VI, 13. Matth. IV, 10. Luc. IV, 8. 6) Deuteron. V, 7. 7) Deuteron. XXXII.

alium angelum volantem medio caelo, habentem Evangelium aeternum, ut annunciaret super terram per omnes nationes et tribus et linguas et populos, dicentem voce magna: Metuite potius Dominum et date illi claritatem, quoniam venit hora iudicii eius, et adorate eum qui fecit caelum et terram, mare et omnia quae in eis sunt [1]). Dominus quoque noster Iesus Christus paterna legis instituta custodiens hoc idem veneranda constitutione promulgat; ait enim: *Audi Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est, et diliges Dominum Deum tuum de toto corde tuo et de tota anima tua et de tota virtute tua, hoc primum est, et secundum simile huic: Diliges proximum tibi tanquam te. In his duobus praeceptis tota lex pendet et prophetae* [2]). Sequitur autem hoc divinum venerandumque praeceptum immortalis Domini ac sancta conclusio; addit enim, ut manifestius viam salutis ostendat, et ita loquitur: *Haec est autem vita aeterna, ut agnoscant te solum verum Deum et quem misisti Iesum Christum* [3]). Sacrorum mandatorum ordinem scitis; quid sequi, quid fugere debeatis, veneranda atque immortali voce didicistis. Audite rursus, quod maneat contemnentes exitium, quibus illos calamitatibus necessitas venerandae legis astrinxerit; clausula enim venerandorum mandatorum in haec verba colligit: *Sacrificans diis eradicabitur praeter Domino soli* [4]). Si solum sacrilegum hominem metuenda poena percuteret, si peccanti soli minaretur severitas legis, bene se ad sacrilegium obstinati furoris temeritate firmaret; nunc etiam stirpi minatur et soboli et hoc agit, ne qua pars nequissimi seminis relinquatur, ne quod profani generis vestigium maneat. *Sacrificans*, inquit, *diis eradicabitur.* Considera quid agas, misera ac luctuosa persuasio. Facinus tuum plurimos perdidit et per omnem substantiam generis tui fecunda poena dividitur. Cur autem contra sacrificantes sic saeviat, ordinatae legis autoritas in Deuteronomio manifesta significatione monstratur; ita enim invenimus esse perscriptum:

---

1) Apocal. XIV, 6 et 7. Parum differt a Cypr. l. l. 2) Deuteron. VI, 5. Matth. XXII, 37—40. Marc. XII, 29—31. Luc. X, 27. Marcum inprimis prae oculis habuisse videtur Firmicus cum Cypriano l. l. 3) Iohann. XVII, 3. 4) Exod. XXII, 20. Ita Auctor de aleatoribus inter Cyprianicos.

Sacrificaverunt daemoniis et non Deo[1]). Ad contaminatos ac pollutos te spiritus ne transferas, ab inferioribus ne speres auxilium, ne his supplices, quibus Dei gratia iam imperare debes. Ecce daemon est quem colis: cum Dei et Christi eius[2]) nomen audierit, contremiscit, et ut interrogantibus nobis respondeat trepidantia verba, vix se colligit; adhaerens homini laceratur, uritur, vapulat et statim de commissis sceleribus confitetur. Ne hunc colas, ne huic supplices, ne prostratus huic flectas genua, interdicto venerandae legis iuberis. Hinc severitatis poena, hinc animadversionis metu metuenda sententia. Quid Dei indulgentia libertate concessa iugum potius[3]) eligis servitutis? Non[4]) desinit Deus summus crimen hoc salutari voce pulsare, sed misericordia eius errantes homines corrigere frequenti comminatione festinat. Audi per Esaiam prophetam vox divina quid dicat: *Adoraverunt deos, quos fecerunt digiti eorum, et curvatus est homo et humiliatus est vir, et non laxabo illis*[5]). Et iam vos, o profani homines, iratum numen alloquitur et adhuc errores vestros sacra convenit voce; ait enim in sequentibus per eundem prophetam: *Illis fudistis libamina et illis imposuistis sacrificia. Super haec non indignabor? dicit Dominus*[6]). Adhuc indignationem suam salutaris Deus dilatat, severitatem suspendit, si vos forsitan peccare paeniteat, ut sacrilegae voluntatis exitium aliquo genere relinquatis. Ecce in ipso indignationis impetu moderata rursus voce persuadet et irarum suarum comprimit stimulos; ait enim per Hieremiam prophetam: *Nolite ambulare post deos alienos, ut serviatis eis, et ne adoraveritis, ne incitetis me in operibus manuum vestrarum ad disperdendos vos*[7]). Quid hic ad sacrilegium pronus aures tuas obstruis? quid hic obstinati furoris ardore in exitium mortemque festinas? Libe-

---

1) Deuteron. XXXII, 17. 2) sc. Dei. Christus enim h. l. nomen non proprium est, sed participium a χρίω. — Olim conieceram Iesu pro eius. 3) potius omissum est in ed. LB. 1652. 4) servitutis. Non ed. pr., et recte. Qua enim auctoritate aut quo iure editores lacunam statuant inter haec duo vocabula interiectam non assequor. Omnia plane ac facillime procedunt. 5) Esai. II, 8 et 9. Firmico suffragatur Cyprian. Ep. 64. Exhort. ad Mart. et De Lapsis. 6) Esai. LVII, 6. Ita etiam Cyprian. Exhort. ad Mart. 7) Ierem. XXV, 6. Ut Cyprianus.

rum te Deus fecit, in tua manu est, ut aut vivas aut pereas. Quid te per abrupta praecipitas? In lubrico itinere constitutus et in ipso lapsu positus [1]) titubantia aliquando suspende vestigia! Ecce sententia depromitur, ecce poena decernitur: diu criminibus tuis pepercit divina moderatio, diu facinus tuum cum dissimulatione respexit: pervenis ad illud anceps, ubi spes, ubi vota deficiunt. Et ut manifestius instruaris, animadversionis exitium disce. Super hac re in Apocalypsi totus ordo responsi est; ita enim scriptum est: *Si quis adorat bestiam et imaginem eius et accipit vota in fronte sua et in manu, bibit et ipse de vino irae Dei, mixto in poculo irae eius. Et puniet igne et sulphure sub oculis agni, et fumus de tormentis eorum in secula seculorum ascendet. Nec habebunt requiem die ac nocte quicunque adorant bestiam et imaginem eius* [2]).

29. Sed et vobis, sacratissimi Imperatores, ad vindicandum et puniendum hoc malum necessitas imperatur et hoc vobis Dei summi lege praecipitur, ut severitas vestra idololatriae facinus omnifariam persequatur. Audite et commendate sanctis sensibus vestris quid de isto facinore Deus iubeat. In Deuteronomio lex ista praescripta est; ait enim: *Quod si rogaverit te frater tuus aut filius tuus aut uxor tua, quae est in sinu tuo, aut amicus tuus, qui est aequalis animae tuae, latenter dicens: eamus et serviamus aliis diis gentium: non consenties ei, et non exaudies eum, et non parcat oculus tuus super eum, et non celabis, annuncians annunciabis de illo. Manus tua erit super eum in primis interficere eum, et manus omnis populi deinceps. Lapidabunt eum et morietur, quoniam quaesivit avertere te a Domino tuo* [3]). Nec filio iubet parci nec fratri, et per amatam coniugem gladium vindicem ducit. Amicum quoque sublimi severitate persequitur, et ad discerpenda sacrilegorum corpora omnis populus armatur. Integris etiam civitatibus, si in isto fuerint facinore deprehensae, decernuntur excidia, et ut hoc providentia ve-

---

1) potius ed. LB. 1652. vitiose. 2) Apocal. XIV, 9—10. Concinit pleramque partem cum Cypr. Testim. L. III. et Exhort. ad Mart. —

3) Deuteron. XIII, 6—10. Firmico pleramque partem suffragatur Cypr. Exhort. ad Mart. —

stra manifestius discat, constitutae legis sententiam proferam. In eodem libro in integris civitatibus poenam Dominus hac voce constituit; ait enim: *Aut si audieris in una ex civitatibus, quas Dominus Deus tuus dat tibi, inhabitare illic dicentes: eamus et serviamus diis aliis, quos non nostis: interficiens necabis omnes qui sunt in civitate caede gladii, et incendes civitatem igni, et erit sine habitatore. Non aedificabitur in aeternum* [1]). *Et avertetur Dominus ab indignatione irae suae et dabit tibi misericordiam et miserebitur tui et multiplicabit te, exaudieris vocem Domini Dei tui et observaveris praecepta eius* [2]). Misericordiae suae vobis, sacratissimi Imperatores, Deus summus praemia pollicetur et amplificationis maximae augmenta decernit. Facite itaque quod iubet, complete quod praecipit. Auspicia vestra maioribus cumulata sunt donis, initio fidei positae divini favoris incrementa sensistis. Nunquam vos manus Dei veneranda deseruit, nunquam vobis laborantibus denegavit auxilium. Strati sunt adversantium cunei et rebellantia ante conspectum vestrum semper arma ceciderunt. Missi sunt superbi sub iugum populi et Persica vota collapsa sunt [3]), nec stare diu contra vos poterit malis suis armata crudelitas. Dei virtutem utrique diverso sensistis eventu. Vobis caelestis victoriae corona collata, et felicitate vestra nostra relevantur incommoda. Haec vobis Deus summus, sacratissimi Imperatores, pro fide vestra [4]) reddidit praemia, his vos

---

1) Deuteron. XIII, 12—15. Concinit plerumque Cypr. l. l. 2) Deuteron. XIII, 17—18. 3) Mendax avis h. l. Firmicus, ut docent verba Zonarae XIII, 5. *Βασιλεὺς Κωνστάντιος πολλάκις τοῖς Πέρσαις συμβαλὼν τὴν ἥττονα μοῖραν εἶχε καὶ πολλοὺς τῶν οἰκείων ἀπέβαλε*, Zosim. III, ad fin.: *Κωνστάντιος τρεῖς Περσικοὺς πολέμους ἀναδεξάμενον καὶ ἐν πᾶσιν ἐλαττωθέντα*, et inprimis testimonium Eutropii X, 10. „Constantius a Persis multa et gravia perpessus, saepe captis oppidis, obsessis urbibus, caesis exercitibus, nullumque ei contra Saporem prosperum proelium fuit, nisi quod apud Singaram (a. 348.) haud dubiam victoriam ferocia militum amisit, qui pugnam seditiose et stolide contra rationem belli die iam praecipite poposcerunt.“ Sed tamen a. 344. Constantius res cum Persis haud prorsus infeliciter gessisse videtur, unde factum, ut Theophane teste (Chronogr. p. 30.) triumphum de Persis egerit, qui quidem Firmico occasionem praebere potuit de „votis Persarum collapsis“ scribendi. 4) De Constante tantummodo

interim remuneratos insignibus ad arcana venerandae legis invitat. Pura mente, devota conscientia, incorrupto animo clementia vestra caelum semper aspiciat, a Deo semper expectet auxilium, Christi venerandum numen imploret, et pro salute orbis terrarum ac vestra salutari Deo spirituales offerat victimas. Sic vobis feliciter cuncta provenient, victoriae, opulentia, pax, copia, sanitas et triumphi, ut divina maiestate protecti orbem terrae felici gubernetis imperio [1]).

---

hoc dicere potuit Firmicus, qui Nicaenam fidem amplexus in Oriente protexit. Constantius contra Arianis aperte fovit. (Münter.)
1) Subscriptio est in ed. pr.: Iulii Firmici Materni V. C. De Errore Profanarum Religionum Explicit. Finis. —

STI. PONTII MEROPII PAULINI

EPISCOPI NOLANI

QUOD FERTUR

POEMA ULTIMUM

ADVERSUS PAGANOS[1].

Discussi, fateor, sectas, Antonius, omnes
Plurima quaesivi, per singula quaeque cucurri,
Sed nihil inveni melius quam credere Christo:
Haec ego disposui leni conscribere versu.
Et ne displiceat, quod talia carmina pando:
David ipse chelym modulata voce rogavit.
Quo nos exemplo pro magnis parva canemus,
Dicentes quae sunt fugienda, sequenda, colenda,
Cum tamen in cunctis et res et causa probetur.

---

1) In Cod. poema est anepigraphum. Titulum „Adversus Paganos“ addidi ex Augustin. Ep. 34., cuius verba infra citabo. Muratorius poema cur ultimum inscripserit, non dicit; fortasse non aliam ob causam, nisi quod ultimum erat inter Pauliniana in Cod. Ambrosiano. —

Vers. 1. Hic Antonius, quem initio libelli adloquitur Paulinus, prorsus ignoratur quis fuerit. Vonckius in Specim. Crit. p. 1. Antonius nominativum esse non vocativum, pro ipsius igitur auctoris nomine esse habendum putat. Sed Paulino carmen hoc vindicat et genus scribendi in aliis eius operibus vix diversum et auctoritas pervetusti Codicis Ambrosiani, ex quo edidit Muratorius; quo tertium accedit testimonium Augustini, qui Ep. 34. ad Paulinum suum ita scribit: „Adversus Paganos te scribere didici ex fratribus. Si quid de tuo pectore meremur, indifferenter mitte, ut legamus“ sqq. Muratorius ad primum operis conspectum pro Antonius legendum Ausonius suspicabatur, quem utique arctissima familiaritate quondam complexum esse Paulinum carminibus-

Iudaicum primo populum nec gratia movit
Mira dei. Nam tum Pharaoni ereptus iniquo
Et mare transgressus pedibus lucente columna
Cum duce, qui mergi infestos vidit equestres,
Et cui disertis nihilum quoque defuit agris,
Manna cui e caelo et fons de rupe cucurrit,
Post haec ipse Deum praestantem tanta negavit,
Dumque aliud numen dementi pectore quaerit,
Ignibus incensis quod misit perdidit aurum.
Par quoque paganus lapides quos sculpsit adorat,
Et facit ipse sibi quod debeat ipse timere.
Tum simulacra colit, quae sic ex aere figurat,
Ut, quando libitum est, mittat conficta monetae,
Aut magis in species convertat saepe pudendas.
Hinc miseras mactat pecudes, mentesque deorum,
Quos putat irasci, calido in pulmone requirit,
Atque hominis vitam pecoris de morte precatur.
Quid, petit ignosci, veniam qui sanguine poscit?
Illud enim quale est? quam stultum quamve notandum?
Cum Deus omnipotens hominem formaverit olim,

---

que non paucis etiamnum extantibus alloquutum constat. Sed interruptum inter hosce duos egregios viros amoris commercium iampridem fuerat, et aliis sane verbis poeta noster usus fuisset, si ad Ausonium, suum olim praeceptorem ac paene parentem, scripsisset. Antonium vero illum Christianorum albo fuisse inscriptum cum Muratorio vix ambigo, cum David illi v. 6 sqq. in exemplum adducatur. — V. 5. Vonck. pro carmina mavult carmine. Neque hoc male. Sed pro pando fortasse restituendum pango. — V. 6. chelym rogavit h. e. ad canendum cohortatus est, velut Psalm. XCVI. XCVIII. C. CI. alias. Vonck. audacter cj. Deum pro chelym. — V. 9. Excusat tenuitatem ingenii et carminis. —

V. 12. Exod. I. V. XIV. — V. 13. Non est quod mersos pro mergi cum Murat. aut mergi funestos cum Vonckio reponendum putemus. Versus enim in caesura vocalibus collidentibus indulget Paulinus cum aliis aevi istius poetis. Cf. v. 15. v. 36. v. 54. et v. 201. V. Heins. ad Claudian. de Sec. Consul. Stilich. v. 167. — V. 15. Exod. XVI. et XVII. Murator. emendat: Manna cui e caelo cui fons sqq. — V. 18. Exod. XXXII. — Vonckii emendatione quo fisus (vel quo fidit) pro quod misit supersedere possumus. —

V. 20. V. supra Firmicum c. 18. ex quo hausit Paulinus. Petron. p. 676. ed. Burm. — V. 21. Pro Tum simulacra fortasse rectius legeris Cum simulacra. — V. 22. conficta quamquam per vana vel inania interpretari loci ratio non vetat, tamen

Audet homo formare Deum: ne crimina desint,
Hunc etiam vendit dominus, sibi comparat emptor.
Philosophos credam quicquam rationis habere,
Qui ratione carent, quibus est sapientia vana?
Sunt Cynici canibus similes, quod nomine produnt.
Sunt et sectantes incerti dogma Platonis,
Quos quaesita diu animae substantia turbat,
Tractantes semper, nec definire valentes;
Unde Platonis amant de anima describere librum,
Qui praeter titulum nil certi continet intus.
Sunt etiam Physici naturae nomine dicti,
Quos antiqua iuvat rudis atque incondita vita.
Namque unus baculum quondam et vas fictile portans —
Utile quod solum solumque putarat habendum,
Illud ut auxilii atque hoc esset causa bibendi: —
Cum stare agricolam manibusque haurire supinis
Potandas vidisset aquas, vas fictile fregit,
Quo procul abiecto removenda superflua dixit;
Rusticus hunc docuit quod spernere posset et istud.
Hi neque vina bibunt nec victu panis aluntur
Nec lecto recubant nec frigora vestibus arcent
Ingratique Deo quod praestitit ille recusant.
Quid dicam diversa sacra et dîs atque deabus
Condita templa? Loquar quae sint capitolia primum.

---

suspicor mendum latere. Et Vonckius iam olim emendavit confracta. Sed difficilis est correctio, quum pari iure etiam conflata, vel potius concisa aut consecta possit reponi. De re cf. Tertull. Apol. c. 13. cf. Arnob. VI, 14. Minuc. Felic. Oct. c. 23. et ibi Intt., Firmic. c. 29. Commodian. Instr. I, 20, 7. — V. 25. Cf. Arnob. IV, 12. — V. 31. Agnoscis Firmicum cap. 15.

V. 36. Murator. emendat: Quos animae quaesita diu subst. turbat. Cf. supra ad v. 13. — V. 38. Phaedonem de immortalitate animi. — V. 42. Per mirificum quemdam errorem Paulinus de Physico nescio quo refert quod omnes reliqui scriptores de Diogene Cynico narrant. V. Intt. ad Diog. Laert. VI, 30. An nove Cynicum appellare voluit Physicum propter illud ζῆν κατὰ φύσιν? Sed cur Physicos a Cynicis aperte distinxit? Utique memoriae lapsui egregio hoc adtribuo, ne ignorantiae insimulare cogar celeberrimum Ausonii discipulum. — V. 50. Cf. Diog. Laert. Vit. Menedemi, Martial. Epigr. IV, 52. Chresol. Mystag. IV, 20, 3.

V. 53. Male Murator. distinguit ita: Cond. templa loquar? Quae s. c. primum His. Legendum forte: Loquar quae sint capitolia. Primus His deus. Primus deus est Iuppiter. —

His deus *est* uxorque dei, ipsamque sororem
Esse volunt, quam Vergilius notat auctor eorum
Dicendo: Et soror et coniux. Plus de Iove fertur,
Et natam stuprasse suam fratrique dedisse,
Utque alias caperet, propriam variasse figuram,
Nunc serpens, nunc taurus erat, nunc cygnus et arbos,
Seque immutando qualis fuit indicat ipse:
Plus aliena sibi quam propria forma placebat.
Turpius his aquilam finxit puerique nefandos
Venit in amplexus. Quid dicit turba colentum?
Aut neget esse Iovem, aut fateatur dedecus istud.
Nomen habet certe, quod nec ratione probetur:
Sacra Iovi faciunt et: Iupiter Optime dicunt.
Huncque rogant, et: Iane Pater primo ordine ponunt.
    Rex fuit hic Ianus, proprio qui nomine fecit
Ianiculum, prudens homo, qui cum multa futura
Posset respicere, hunc duplici pinxere figura
Et Ianum Geminum veteres dixere Latini.
Hic quia navigio Ausonias advenit ad oras,

V. 54. est post deus non extat in Cod. Murator. emendat: His deus est uxorque dei est, ipsamque sor. Sed altero est non egemus; v. supra ad v. 13. — V. 55. eorum sc. ethnicorum, qui Iunonem uxorem Iovis et sororem esse volunt. Virgil. Aen. I, 51. De incesto hoc summi Dei matrimonio multi sunt Patres. Cf. August. C. D. IV, 10. Tertull. Apol. c. 14. Clem. Alex. Protr. c. 2. Min. Fel. Oct. c. 31. Firmic. Matern. c. 4. ubi v. Intt. — V. 57. V. Arnob. V, 21. Hygin. Fab. 105 et ibi Muncker. p. 267. Nonn. Dionys. VI, 157. cf. Claudian. de R. Pros. I, 215 sqq. — V. 59. Pro arbos Murator. cj. aurum, quum Iovem in arborem mutatum esse quisquam vett. scriptorum non tradiderit. Malim ardor. Sub ignis enim specie Iuppiter lusit Aeginam, Asopi filiam; v. Apollod. I, 10, 3. Ovid. Met. VI, 113. Cf. Firmic. c. 12. — V. 62. Catamiti raptum memorant praeter alios etiam Minuc. Fel. Oct. 22. Firmic. c. 12. Commodian. Instr. VI. — V. 65. Cic. N. D. II, 25. „Iuppiter est Iuvans Pater, quem conversis casibus adpellamus a iuvando Iovem.“ Cf. etiam Lactant. I, 10, 10. — V. 67. V. Macrob. Sat. I, 9. Ovid. Fast. I, 117. Martial. Epigr. X, 28. Cato de R. R. 134. Serv. ad Aen. VII, 610. Festus-Paul. s. v. Chaos p. 52. ed. Müller. Cf. Arnob. III, 29. Vonck. pro et Iane legi mavult at Iane. —

V. 68. Solin. Polyh. c. 2. Minuc. Fel. Oct. c. 22. Arnob. I, 36. III, 29. ubi v. Intt. August. C. D. VII, 4. — V. 70. Posset praespicere cj. Vonck. Sed respicere verum esse potest, modo tibi fingas incognita et futura pone nos sita esse, a qua parte nullus est visus. — De Iano bifronte cf. Macrob. Sat. I, 9. August.

Nummus huic primum tali est excusus honore,
Ut pars una caput, pars scalperet altera navem,
Cuius nunc memores quaecumque nomismata signant
Ex veteri facto capita haec et navia dicunt,
De Iove quid sperant, *quique* est a rege secundus,
Quique sacrificiis apponitur ore precantum?
Hic habet et matrem captam pastoris amore,
Nam prior est pastor, quam Iupiter aut Iovis ipse,
Sed melius pastor, castum servare pudorem
Qui voluit sprevitque deam, cui saeva viriles
Abscidit partes, ne quando tangeret ille
Alterius thalamum, qui noluit eius adire.
Hoc tamen, hoc egit sententia iusta deorum
Ne fieret coniux qui non est factus adulter?
Nunc quoque semiviri mysteria turpia plangunt,
Nec desunt homines, quos haec contagia vertant,
Intus et arcanum quiddam quasi maius adorant,
Idque vocant sanctum: quo si velit ire pudicus,
Iste profanus erit. Sic artior ipse sacerdos

C. D. VII, 8. Plutarch. Qu. Rom. 40. et 22. et Intt. ad Ovid. Fast. I, 95. et de Iano Gemino Plin. H. N. XXXIII, 2. et XXXIV, 7. Suet. Ner. c. 14. Varr. L. L. V, 156. — V. 72. Iterum errare videtur Paulinus. Quod enim alii scriptores de Saturno memorant, hic ad Ianum refert. — V. 75. nomismata scriptum erat in Cod., unde retinui cum Murat. — V. 76. V. Macrob. I, 7. Auct. de Orig. Gent. Rom. c. 3. cf. Plin. XXXIII, 3. et Ovid. Fast. I, 239. — V. 77. quique est emendavi cum Vonckio, quum Murat. ex Cod. exhibeat qui est. Ceterum egregie errat Murator. haec verba de Saturno interpretans. — V. 78. h. e. qui in precationibus non primus appellatur sed secundus post Ianum. — V. 79. Attidem pastorem tradunt Theocrit. X, 40. Philostrat. I, Ep. 39. p. 930. Arnob. IV, 35. Tertull. adv. Nat. I, 8. p. 149. De Matris Magnae cum Attide amore v. Arnob. V, 6 sqq. et ibi Intt. — V. 80. haud Iovis ipso (sc. pastore) cj. Vonck. — De nominativi forma Iovis cf. Gell. N. A. V, 12. Varro de L. L. VIII, 46. — V. 81. Sed melior cj. Murator. Retineo Cod. lectionem et interpretor: Sed melius quam dea fecit simplex pastor qui sprevit deae amorem. — V. 84. Cf. Arnob. l. l. Lactant. I, 17. Firmic. Mat. c. 3. Min. Fel. Oct. c. 21 — V. 89. Cf. Lobeck Aglaoph. I, p. 304. qui memoriae lapsu haec verba Commodiano tribuit. — V. 91. artior est severior, continentior, difficilior. — V. 92. Mirifice errat Murator. aliquid deesse hic putans, ut sit sensus: patiturque viriles abscindi partes. Immo patitur viriles amplexus. — V. 94. Cf. Tertull. Apol. c. 15. August. C. D. VII, 26. Firmic. Mat. c. 12. et ibi adnot. —

Femineos vitat coitus, patiturque viriles.
O mens caeca virum! De sacris semper eorum
Scena movet risus, nec ab hoc errore recedunt.
Saturnum perhibent Iovis esse patrem, huncque vorasse
Natos ante suos et mox e ventre nefandas
Evomuisse dapes, sed postea coniugis arte
Pro Iove suppositum mersisse in viscera saxum,
Quod nisi fecisset, consumptus Iupiter esset:
Huncque Cronon dicunt, ficteque Chronon, quia tempus
Quae creat absumit rursusque absumpta promittit.
Cur tamen oblique nomen pro tempore fingunt?
Hunc etiam, quod saepe sibi de prole timebat,
Ab Iove deiectum caelo latuisse per agros
Italiae, Latiumque ideo tunc esse vocatum.
Magnus uterque deus! Terris est abditus alter,
Alter non potuit terrarum scire latebras.
Hinc Latiare malum prisci statuere Quirites,
Ut mactatus homo nomen satiaret inane.
Quae nox est animi? Quae sunt improvida corda?
Quod colitur nihil est, et sacra cruenta geruntur.
Quid quod et Invictum spelaea sub atra recondunt,
Quemque tegunt tenebris, audent hunc dicere Solem?
Quis colat occulte lucem, sidusque supernum
Celet? In infernis nisi rerum causa malarum.
Quid quod et Isiacum sistrumque caputque caninum
Non magis abscondunt, sed per loca publica ponunt?

V. 100. V. Cic. N. D. II, 25. ibique Davis. et Creuzer. Arnob. III, 29. et ibi Intt. — V. 101. Apte Murator. h. l. adfert versum illum Orphicum de Saturno: Ὃς δαπανᾷς μὲν ἅπαντα καὶ αὔξεις ἔμπαλιν αὐτός. — remittere pro promittere corrigere cum Murat. non opus est. — V. 105. V. Intt. ad Arnob. IV, 24. Minuc. Fel. Oct. c. 22. Firm. Mat. c. 12. Lactant. I, 13. 14. Tertull. Apol. c. 10. — V. 107. sc. ut illum quem quaerebat investigaret. — V. 109. De cruenta Iovis Latiaris ara vett. scriptorum locos adductos v. ad Firm. Mat. c. 16. Min. Fel. c. 21. —

V. 112. Cf. Tertull. de Cor. Mil. c. 15. Salm. ad Scriptt. H. A. p. 367. 382 sq. 349. et 117. Reines. Inscr. I, 48. Selden de diis Syr. I, 6. Bulenger de Lic. et Vet. Mag. I, 4. Intt. ad Firm. Mat. 5. — V. 113. Sic emendavi. Muratorius edidit: Quaeque. — V. 115. malorum Cod. Rerum causa malarum est Diabolus. — Vonck. cj. Celet in inf. n. r. causâ malarum. —

V. 116. De sistris v. Hildebr. Excurs. ad Apulei. tom. II,

Nescio quid certe quaerunt gaudentque repertum,
Rursus et amittunt quod rursus quaerere possint.
Quis ferat hoc sapiens: illos quasi claudere Solem,
Hos proferre palam propriorum monstra deorum?
Quid Serapis meruit, qui sic laceratur ab ipsis
Per varios turpesque locos? Hic denique semper
Fit fera fitque canis, fit turpe cadaver aselli,
Nunc homo, nunc panis, nunc corpore languidus aegro;
Talia dum faciunt, nihil hunc sentire fatentur.
Quid loquar et Vestam, quam se negat ipse sacerdos
Scire quid est? imisque tamen penetralibus intus
Semper inextinctus servari fingitur ignis.
Cur dea, non deus est? Cur ignis femina fertur?

---

p. 644 sqq. De Anubide cf. Hild. ad Apul. I, 1027 sq. Intt. ad Minuc. Fel. Oct. c. 21. et ad Firmic. Mat. c. 2. — V. 18. et 19. Ita Minuc. Fel. et Firm. l. l. Ipse Paulin. Nat. XI., 119. „Nam quid, rogo, caecius illis, Qui non amissum quaerunt nusquamque manentem Inveniunt, planguntque alii quod non dolet ipsis?“ — V. 122. Nisi hoc novus est error Paulini vel memoriae lapsus, statuendum est eum Serapidem pro Osiride posuisse cum quibusdam veterum auctorum. V. Intt. ad Tacit. Hist. IV, 86. Mart. Capell. II, §. 126. p. 179. ed. Kopp. (p. 43. ed. Grot.) De Osiride a Typhone dilacerato v. quos laudat Kopp. ad Mart. l. l. cf. ad Firm. Mat. c. 2. Min. Fel. Oct. c. 21. „et adsparsis membris tui Serapidis sive Osiridis tumulum. — V. 124 et 125. Quanam auctoritate haec narret Paulinus non magis scire me fateor quam habere unde explicem eas Serapidis vel Osiridis transformationes; omnes enim scriptores silent de ea re. Hinc paene pronus sum putare novum errorem hic committi a Paulino et plurium Aegyptiorum deorum fabulas ab eo confundi et ad unum Osirim vel Serapim referri. Estne enim verisimile, ut vel hoc unum proferam, ab Aegyptiis creditum esse Osirim transformari in asinum, animal impurum et Typhoni sacerrimo illius percussori consecratum? Item quod dicit Osirim in canem transformari, ad quemnam alium deum caninum illud caput pertinuit quam ad Anubim, membrorum lancinati Osiridis vestigatorem? Quod autem de pane memorat, pertinere existimo ad illas placentas asini vincti imagine insignitas, de quibus mentionem facit Plutarch. de Is. et Osir. p. 362. Cf. adn. ad Minuc. Fel. Octav. c. 28. Verba denique „Fit fera“ et „nunc corpore languidus aegro“, haec interpretor de Serapidis incubationibus (v. Firmic. Mat. c. 13. et ibi adn.), illa refero ad leonem, animal Aegyptiorum Vulcano et ipsi Soli (Osiridi; v. Macrob. Sat. I, 21. Diog. Laert. Prooem. §. 10. Martian. Cap. II, §. 126. p. 179. ed. Kopp.) sacrum. —

V. 127. Sacerdos est pontifex. Sed forte ipsa corrigendum est. — V. 131. commentat (Priscian. VIII, 797. Plaut. Me-

Ista quidem mulier, sicut commendat Hyginus,
Stamine prima novo vestem contexuit olim,
Nomine de proprio dictam quam tradidit ipsa
Vulcano, qui tunc illi monstrarat opertos
Custodire focos; hic rursum munere laetus
Obtulit hanc Soli, per quem deprehenderat ante
Martis adulterium: nunc omnis credula turba
Suspendunt Soli per Vulcanalia vestes;
Utque notent Venerem, tunc et portatur Adonis,
Stercora tunc mittunt, ipsum proh! stercore iactant.
Omnia si quaeras, magis et ridenda videntur.
Additur hic aliud: Vestae quas virgines aiunt
Quinquennis epulas audis portare draconi,
Qui tamen aut non est, aut si est, Diabolus ipse est,
Humani generis contrarius antea suasor.
Et venerantur eum, qui nunc in nomine Christi
Et tremit et pendet suaque omnia facta fatetur.
Quae mens est hominum, ut pro veris falsa loquantur?
Qui linquenda colunt contraque colenda relinquunt?

---

naechm. V, 7, 30.) emendat Vonck. Sed bene stat commendat. — Hygini liber ex quo hausit sequentia Paulinus, in deperditis eius est. — V. 138. Per Vulcanalia Soli vestes suspendi solitas esse nemo alius veterum tradidit. De hoc more in universum cf. Intt. Apulei. Met. VI, 3. tom. I, p. 404. ed. Hild. Alex. ab Alex. Genial. Dier. III, 18. Ramirez Spicileg. Sacr. I, 2 et 22. Murator. praeterea huc refert Aristoph. Av. v. 827. — V. 140. Neque huius moris vett. scriptorum aliquis mentionem facit. Murator. ad h. l. haec adnotat: „Sed cur Adonis stercora patiebatur? Causam invenisse mihi videor. Nonnulli Adonidem semen tritici esse statuerunt, inter quos Theocriti scholiastes (ad Id. III, 48. cf. Cornut. de N. D. c. 28.) ita loquutus est: *Ὁ Ἄδωνις, ἤγουν ὁ σῖτος, ὁ σπειρόμενος ἕξ μῆνας ἐν τῇ γῇ ποιεῖ ὑπὸ τῆς σπορᾶς.* Tam bene igitur Adonidi stercora aptantur quam tritico. Quia vero inter Vulcanum Venerisque amasios inimicitiae intercedebant, hinc Adonis male habitus quum Vulcani sacra peragebantur.“ —

V. 143. Neque has quinquennes epulas draconi a Vestalibus adpositas quisquam vett. scriptorum praeter Paulinum memorat. Sed lucem aliquam accipit locus ex duobus locis adnotatis a Lipsio de Vesta et Vestalibus c. 10. (tom. III, p. 1097 sq. ed. Vesal.); ubi haec leguntur: — in ambage vel nube est quod in Silvestri Pontificis Actis quibusdam legitur: ‚Draconis eum ora clausisse et perpetuo ergastulo mancipasse, cui Kalendis singulis a virginibus Vestae suppeditari solita sint alimenta.‘ Nam quis veterum tale aliquid? eoque sperni aut abiici a magnis viris ut falsa video, me cunctante,

Iam sat erit nobis vanos narrare timores.
Haec ego cuncta prius. Clarum *sum* lumen adeptus,
Meque diu incertum et tot tempestatibus actum
Sancta salutari suscepit Eclesia portu
Postque vagos fluctus tranquilla sede locavit,
Ut mihi iam liceat, detersa nube malorum
Tempore promisso lucem sperare serenam.
Iam prior illa salus, quam perdidit immemor Adam,
Tunc vero suadente Malo, nunc remige Christo
Eruta de scopulis semper mansura resurget.
Rector enim noster sic undique cuncta gubernat,
Ut modo qui nobis errorem mentis ademit,
Hic meliore via paradisi limina pandat
Felix. Nostra fides uni certoque dicata,
Unus enim Deus est, substantia Filius una,
Unus in utroque est unus vigor, una potestas.
Namque Dei verbum patrio de pectore Christus
Emicuit, semperque fuit qui non quasi natus,
Ore sed egressus chaos illud inane removit
Et tulit informem contextae noctis hiatum

---

an non Tertullianus (ad Uxor. I, 6.) huc adspexerit hisce verbis: ‚Romae quidem quae ignis illius inextinguibilis imaginem tractant, auspicia poenae suae cum ipso dracone curantes de virginitate censentur.‘ Profecto dicit et ignem curasse et draconem, utrumque in imagine futurorum. Neque nimis abhorream talia quaedam praeter morem veterem novitia superstitione et causa et casu aliquo adsumpta, quae ideo priscis nec dicta. Draconem quidem una cum Bona Dea cultum, hoc legi, sed quid ad Vestam?“ — De serpentibus in sacris Bonae Deae adhiberi solitis v. Macrob. I, 12. Plutarch. Qu. Rom. c. 20. cf. Iuven. Sat. VI, 324. Vestae imaginem cum serpente habes in tabula apud Montefalc. Antiqu. Expl. I, 1, 2. — V. 147. V. adn. ad Firm. Mat. c. 13. —

V. 151. Haec ego cuncta prius. Aliquid deesse putabat Murator. et supplebat: „dubia mente volvebam et probare nesciebam.“ Mihi videtur respici ad ethnicorum numina vana, ut tacite supplendum sit „veneratus sum“ vel „pro veris habui et colui“. In seqq. Murator. ex Cod. edidit clarum cum lumen adeptus, sine sensu. Vonck. duas proponit emendationes cl. sum lumen adeptus et cl. cum lumen adeptum Meque sqq. Praetuli priorem. — V. 153. Sic haud raro efferunt metri gratia poetae Christiani voc. ecclesiam. — V. 162. Hic sc. Christus. meliore via sc. quam nunc ingressa est mortalitas duce Christo. — V. 169. tulit h. e. sustulit. cf. infra v. 214. contextae h. e. continuae. —

Distribuitque locis mare, terras, aera, caelum,
Hisque dedit geminam pulsa caligine lucem.
Ast ubi cuncta novum stupuerunt surgere solem,
Quatuor haec *auxit* variis exordia rebus:
Sunt homines terris, sunt addita sidera caelo,
Aere pendet avis, liquido natat aequore piscis.
Sic elementa suis decoravit singula formis,
Nexuit haec diversa licet discretaque iunxit,
Iunctaque discrevit, quae nunc divisa cohaerent.
Claudit enim oceanus terram, mare clauditur, ipse
Axe sub aethereo medius concluditur aer.
Hoc etiam caelum, quod nos sublime videmus,
Sex aliis infra est spatio surgentibus aequo,
Postque thronos septem, post tot caelestia regna
Cetera pars omnis, quae cunctis eminet ultra,
Quae super excedit, quae passim tendit in altum,
Quae sine fine patet, quam nec mens colligit ulla,
Lucis inaccessae domus est sedesque potentis
Sancta Dei, unde procul quae fecit subdita cernit.
Omnia sic constant, dum spiritus omnia cingit,
Haec eadem, quorum nobis conceditur usus,
Quae polus inferior magna complectitur Urbe.
Cuncta licet distent, una cum pace tenentur,
Denique nomen habent unum, sunt omnia mundus.
Hunc etiam Graeci cosmon dixere priores:
Hinc ita compositum distinguens utraque lingua
Cosmon ab ornatu, mundum de lumine dixit.
Nam quo sol nitet, hoc totum sordebat in umbra,
Et manet exemplum, quoties nox omnia foedat,
Et docet ex tenebris, quae sit data gratia lucis.
Tot bona qui fecit, qui sic operatus ubique est,

V. 170. Ignis mentionem inter elementa non facit Paulinus, Genesin (cf. etiam Petr. Ep. II, 3.) secutus. — V. 173. auxit emendavi cum Vonckio. Murat. ex Cod. edidit hausit. — V. 180. Cf. Firm. c. 3.— V. 183. Cf. Philastr. c. 46. — V. 191. Pro urbe quod tuetur Murator. loco Rutil. Numat. Itin. v. 65. aliisque locis ad Urbis Romae fines totum terrarum orbem complectentes spectantibus, omnino reposuerim orbe. — V. 195. Hunc ita cj. Murator. — V. 196. Cf. Varro in Sat. Dolio aut Seria ap. Valer. Prob. in Virgil. Ecl. VI, 31. Plin. H. N. II, 4. Isid. Origg. XIII, 1. — Lumen posuit pro munditie vel ornatu. — V. 201. Voc. est desideratur in Cod. In seqq. Mu-

Hic Deus *est* de corde Dei, hic spiritus oris,
Sancti sermo patris, tantarum fabrica rerum.
Nec se paganus laudet, si qui idola vitat
Ac satis esse putat, quod numine credat in uno.
Quid, colet ille Deum, qui verbum non colit eius?
Qui non virtutem simili veneratur honore?
Quique invisibilem, incomprensibilemque fatetur
Esse Deum, hic etiam Christum si cogitet idem
Inveniet, quoniam verbum comprendere nemo,
Nemo videre potest; opera eius sola videntur.
In patre natus enim, in nato pater omnia fecit,
Et quidquid virtute dedit, pietate tuetur.
Sic fuit, et steterit versus salvator in aevum,
Qui tulit errores, qui fecit vera videri,
Placatoque patri pereuntem reddidit orbem.
Nec mirum, si cuncta regit qui cuncta creavit,
Qui dedit ex nihilo totum lucemque tenebris
Praetulit atque diem iussit succedere nocti,
Quodque in carne fuit, carnis peccata remittit;
Cernit enim fragilem faciles incurrere lapsus,
Corripiensque tamen veniam dabit omnibus unam,
(Remque novam dicam, nec me dixisse pigebit)
Plusque pius quam iustus erit. Si denique iustus
Esse velit, nullus fugiet sine crimine poenam:
Iustus enim mala condemnat, pius omnia donat.
Hoc facit, ut rata sint venturae munera vitae,
Et quod culpa tulit, rursum indulgentia reddat.
Quae si non fuerint plebi concessa roganti,
Tunc prope nullus erit delicto liber ab omni.

---

rat. cj. hic est Spiritus oris. Sed v. supra ad v. 13. — V. 203. fabrica pro officina habes etiam in Charta a. 1048. ap. Lamium in Delic. Erudit. inter notas ad Hodoepor. Charit. part. 3. pag. 1034.: „Una cum casis et hedificiis et universis fabricis suis“ sqq. — V. 203. Sic Cod., Murat. vero emendavit et edidit: si vitat idola, nescius quod etiam Prudentius, Sedulius aliique istius aevi poetae mediam voc. idolum syllabam corripere solent. — V. 204. Cod. nomine habet pro numine. — V. 213. Murator. cj. verus pro versus. Ego „versus stare in aliquem“ explicaverim per prospicere, a partibus alicuius stare, favere et propitium esse. Aevum significat mundum, mortalitatem, ut saeculum alias idem vel homines cf. Commodian. Instr. 34.; steterit futur. exact. pro simplice. — V. 214. tulit cf. supra v. 169. —

Qui possit meritus promissa luce potiri?
Tangere tunc laetis caelorum regna licebit,
Tunc poterit mors ipsa mori, cum tempore toto
Vita perennis erit, quia tunc in sede beata
Nullus peccandi locus est, ubi nulla cupido est.
Gloria tanta manet populo servata fideli.
Amplius hoc tribuit, maius dedit hoc quoque munus,
Quod peccatorem, quem paenitet, antea lapsum
Non facit in numero turbae peccantis haberi,
Quippe satis poena est, cum sit sua culpa dolori.
Supplicium proprium timor est, tormenta reatus
Tum veluti patitur qui se meruisse fatetur.
Quid poterit melius vel quid moderatius esse?
Iudicat, inquirit, castigat, parcit, honorat,
Omnia qui vincit, nec ab ipsa vincitur ira.
Quod de praesenti iam cernimus esse futurum;
Nam cum saepe minax horrentia nubila cogit,
Et terrore pio rutilo nimis igne coruscat,
Tristibus et pluviis et nubibus intonat atris:
Omne genus timet interitum, sed *diva* potestas
Desinet et pariter caelum mentesque serenat.
Hoc quoque tunc sperare iubet qui se modo cuncta
Perdere posse probat, *sed* perdere velle recusat.
Sic iteranda salus venturo ostenditur aevo,
Aeternique Dei pietas aeterna manebit.

V. 249. sed vita potestas Cod. mendose. Vonck. cj. visa. Mihi placet diva vel dira. — V. 252. probat si perdere Cod. et Murat. Reposui probat, sed perdere; sed etiam ita potest locus emendari: sperare iubet. Qui se modo cuncta Perdere posse probat, sic perdere velle recusat.

COMMODIANI
INSTRUCTIONUM
PER LITTERAS VERSUUM PRIMAS
LIBRI DUO.

LIBER PRIMUS.

I. PRAEFATIO.

Praefatio nostra viam erranti demonstrat,
Respectumque bonum 1), cum venerit saeculi meta,
Aeternum fieri, quod discredunt 2) inscia corda.
Ego similiter erravi tempore multo,
Fana prosequendo 3), parentibus insciis ipsis.
Abstuli me tandem inde legendo de Lege 4),
Testificor Dominum. Doleo pro civica turba 5).
Inscia quod perdit 6) pergens deos quaerere vanos!
Ob ea perdoctus ignaros instruo verum 7).

I. 1) Ἐπισκοπὴν divinae gratiae. 2) h. e. non credunt. Verbum Commodiano saepius usurpatum. Cf. I, 23, 10. et 29, 15. II, 23, 3. 3) Lacrozius et Dodwellus distinguunt: prosequendo. Parentibus sqq. 4) Legem hic et alibi passim appellat libros utriusque testamenti. „Legere de Lege" dicit pro „legere Legem", ut infra I, 47, 1. „de odio tollere" pro „odium tollere". V. Davis. ad Minuc. Felic. Octav. cap. 7. p. 42. ed. 1712. 5) Sic distinguit Davis. Rigalt. et Schurzfleisch. dedere: doleo: pro civica turba! 6) perit bene emendat Davis. Sed signo exclamationis posito post vanos vulgata retineri potest. 7) Hinc operis inscriptio. —

II. INDIGNATIO DEI.

In Lege praecepit Dominus caeli terrae [1]) marisque,
Nolite, inquit, adorare deos inanes
De manibus vestris factos ex ligno vel auro,
Indignatio mea ne vos disperdat ob ista.
Gens ante Mosen rudis, sine lege morata
Nesciensque Deum, defunctos [2]) deos orabant,
Ad quorum effigies faciebant idola vana.
Translatis Iudaeis Dominus de terra Aegypti
Imposuit Legem postmodum et ista praecepit
Omnipotens, sibi soli deservire, non illis:
De resurrectione quoque docetur in ipsa [3])
Et spe [4]), fortunatum [5]) rursum in aevo vivendi,
Idola si vana relinquantur neque colantur.

III. CULTURA DAEMONUM.

Cum Deus omnipotens exornaret mundi naturam [6]),
Visitari voluit terram ab Angelis istam,
Legitima [7]) cuius spreverunt illi dimissi.
Tanta fuit forma feminarum [8]) quae flecteret illos,

II. 1) terraeque extat in recens. priore ed. Rigalt., quod tamen in altera correxit. 2) Sic Cod. Sti. Albini Andegavensis, unde sumptum erat Sirmondi Apographum ab Rigaltio editum, teste Baluzio ad Cyprian. de Idol. Van. p. 567. in Opp. Cypr. ed. Paris. 1726. fol. Editiones omnes praebent morientes pro defunctos. 3) Opinioni suae stabiliendae nonnulla quidem Geneseos loco torquebant Chiliastae; sed quibusdam Prophetarum *ῥήσεσιν* et Apocalypsi Ioannis praecipue nitebantur. V. Iustin. Mart. Dial. c. Tryph. p. 239. Irenaeum V, 32 sqq. et Tertull. c. Marcion. III, 24. (Davis.) Lacrozius putat Commodianum hic respicere et in suam opinionem interpretari verba Exodi cap. 120, 6. 4) spem recens. prior ed. Rig. sed postea correct. 5) fortunatum adiectivum est neutro genere positum pro adverbio. Sic infra I, 12, 15. simile viventes et I, 34, 19. immortale vivere. —

III. 6) Ita et infra I, 7, 10. dicit mundi naturam pro ipso mundo. Davis. citat Tanaqu. Fabrum ad Lucret. I, 131. 7) h. e. leges, mandata. 8) Ex male intellecto Geneseos cap. 6, 2. nata est haec sententia. Ioseph. Antiqu. Iud. I, 3. *Πολλοὶ γὰρ ἄγγελοι θεοῦ γυναιξὶ συμμιγέντες ὑβριστὰς ἐγέννησαν παῖδας.* Auctor Testam. Patriarch. in Testam. Rubenis c. 5.: *Ἔθελξαν (αἱ γυναῖκες) τοὺς Ἐγρηγόρους πρὸ τοῦ κατακλυσμοῦ, κἀκεῖνοι συνεχῶς ὁρῶντες αὐτὰς ἐγένοντο ἐν ἐπιθυμίᾳ ἀλλήλων καὶ συνέλαβον τῇ διανοίᾳ τὴν πρᾶξιν καὶ μετασχηματίζοντο εἰς ἀνθρώπους, καὶ ἐν τῇ συνουσίᾳ*

Ut coinquinati non possent caelo redire.
Rebelles ex illo contra Deum verba misere.
Altissimus inde sententiam misit in illos;
De semine quorum Gigantes nati feruntur.
Ab ipsis [1]) in terra artes prolatae fuerunt,
Et tingere lanas docuerunt et quaecunque geruntur.
Mortales et illis mortuis simulacra ponebant.
Omnipotens autem, quod essent de semine pravo,
Non censuit illos recipi [2]) defunctos e morte.
Unde modo vagi subvertunt corpora multa [3]);
Maxime quos hodie colitis deos et oratis.

IV. SATURNUS.

Saturnusque senex si deus, quando [4]) senescit
Aut si deus erat, cur natos ille vorabat [5])
Terroribus actus? sed quia deus non erat ille,
Viscera natorum rabie monstrosa sumebat.
Rex fuit in terris, in monte natus Olympo,
Nec divinus erat, sed deum sese dicebat.
Venit inops animi [6]), lapidem pro filio sorpsit:
Sic deus evasit; dicitur modo [7]) Iuppiter ille.

V. IUPPITER.

Iuppiter hic natus in insula Creta Saturno
Ut fuit adultus, patrem de regno privavit [8]),
Proinde nobilium uxores sororesque delusit.

τῶν ἀνδρῶν αὐτῶν συνεφαίνοντο αὐταῖς, κἀκεῖναι ἐπιθυμοῦσαι τῇ διανοίᾳ τὰς φαντασίας αὐτῶν ἔτεκον γίγαντας· ἐφαίνοντο γὰρ αὐταῖς Ἐγρήγοροι ἕως τοῦ οὐρανοῦ φθάνοντες. Aliorum scriptorum locos indicavit Iac. Pamelius ad Tertull. Parad. I. (Davis.). V. Ios. Scalig. ad Euseb. p. 403 sqq. ubi et ipsa Apocryphi Enoch verba sunt adscripta. Cf. Suid. s. v. *Μιαιγαμίας* 1) sc. Angelis. — De re cf. Tertull. de Cultu Feminar. I, 2. et II, 10., qui item ex Pseudenocho hausit. 2) Cf. Lactant. II, 14. 3) sc. in caducariis et epilepticis. — Versum 14. ita ut editus est extare in Cod. Sti. Albini testis est Steph. Baluzius ad Cypr. Opp. p. 571. —

IV. 4) Davis. cj. quomodo pro quando. Retineo vulgatam lectionem; si enim particula h. l. significat num, et quando positum pro quum tamen. 5) Cf. Serv. ad Aen. III, 104. — 6) quippe terroribus actus. 7) h. e. nunc. Sic supra I, 3, 14. —

V. 8) V. Intt. ad Arnob. IV, 14 et 25. et ad Min. Fel. Oct. cap. 22.

Praeterea sceptra fecerat faber illi Pyracmon [1]).
Initio caelum, terram Deus et mare fecit;
Terribilis autem iste medio tempore [2]) natus
Ex antro processit iuvenis furtimque nutritus:
Respice quod rerum auctor est Deus, non Iovis [3]) ille.

VI. DE FULMINE IPSIUS IOVIS.

Dicitis o stulti: Iovis tonat, fulminat ipse.
Et si parvulitas [4]) sic sensit, cur annis ducentis [5])
Fuistis infantes? numquid et semper eritis?
Versa in maturum infantia non capit aevum
Lusus; puerilis *aetas* [6]) cessit, sic et corda recedant [7]);
Moribus virilibus consilia vestra debentur.
Insipiens ergo Iovem tonitruare tu credis [8]):
Natus hic in terris lacte caprino nutritur;
Ergo si illum devorasset Saturnus,
In istis temporibus quis pluebat illo defuncto?
Praesertim si mortali patre deus nasci credatur.
Saturnus in terris senuit et defecit in ipsis [9]).
Illum non aliquis prophetavit praenasci,
Vel, si tonat ipse, Lex ab ipso lata fuisset;
Seducunt historiae per vates confictae.
Ille autem in Creta regnavit et ibi defecit.
Omnipotens vobis factus *Ganymedis* [10]) amator
Vivos ipse modo similiter amaret, si viveret ille.
Impuros oratis et dicitis esse caelestes

---

1) Hesiod. Theog. v. 140. Apollodor. I, 1, 2. Virg. Aen. VIII, 424. 2) Non extra tempus, ut Deus verus qui mundum creavit. 3) Iovis nominativi formam saepius usurpat Commodianus; cf. Instr. sequ. v. 1. —

VI. 4) h. e. infantia parum prudens. — In seqq. pro cur malim cum — — — infantes, numquid sqq. 5) Ex hoc maxime loco patet, Commodianum suas Instructiones prius scripsisse, quam annus a Christo nato trecentesimus esset elapsus. Cf. Cave Hist. Litt. Part. II, p. 55. 6) actus habuit Sirmondi Apogr., quod emendavit Rigalt. 7) sc. ab infantia et lusu puerili. 8) Ovid. Fast. V, 113. Lactant. Div. Inst. I, 21, 38. et Hygin. Poet. Astron. II, 13. 9) Ut Iesum Christum, Dei filium, Vet. Testamenti Prophetae. — Pro praenasci, quod corruptum esse videtur, malim pronasci, quamquam nec hoc verbum ab aliquo vel bonae vel iam vergentis aetatis scriptore usurpari meminerim. 10) Sic ed. Rigalt. ex secunda recens. et ed. Davis. Et Schurzfl.

Semine mortali natos de Gigantibus [1]) illis.
Auditis et legitis natum in terra fuisse:
Unde bene meruit corruptor ascendere caelum?
Dicitur et fulmen Cyclopas [2]) illi fecisse,
Immortalis enim habuit a mortalibus arma.
Tot reum criminibus, parricidam quoque suorum,
Ex auctoritate vestra contulistis in altum.

VII. DE SEPTIZONIO [3]) ET STELLIS.

De circulo zonae fallit vos imperitia vestra,
Ex eoque forte Iovem *expetitis* [4]) orandum.
Saturnus fertur ibi, sed stella; nam ille effugit [5])
Expulsus a Iove. Aut Iovis in stella credatur?
Poli qui sidera tractavit, solique sator,
Troianis qui bellum fecit, Venerem almam amavit,
Ipsis sideribus [6]) aut Mars cum ipsa deprehensus
Zelo maritali? deus nominatur aduliscens [7]).
O nimium stulti, qui putatis *Magnos* [8]) ab astris
Nascentes regere aut totam mundi naturam.
In vulnera positi [9]) et ipsi sub fata viventes
Obsceni, *furiosi* [10]), bellatores, impiae vitae,

---

qui cum ed. Rig. priore Alcmenes ediderat, postea sententiam retraxit. Apographum Sirmondi habuit erme et superscriptum medis. 1) V. ad I, 3, 4. et ibid. cf. vers. 9. 2) Cf. ad I, 5, 4. —

VII. 3) Septizonium dixere et Septemzonium et Septizodium omnem septenarium ordinem, ut circulum dierum in hebdomadis, ut moles alias aliis superstructas. Plenissime de vocis significatione et usu disputavit Ios. Scalig. ad Euseb. Chron. p. 229. Apud Commodianum Septizonio indicantur septem planetae. 4) Experitis edd. omnes. Recepi Davisii emendationem. 5) effugit quod abest in edd. omnibus, restituo ex auctoritate Apogr. Sirmondi, quod praebet: — nam ille Effugit expulsus. Minime enim, ut arbitrabatur Rigalt., abundat verbum effugit, modo ad tertium versum trahatur. — In seqq. posui signum interrogationis post credatur, sensu aperte flagitante. 6) sc. Soli. Homer. Od. VIII, v. 277 sqq. Ovid. Metam. IV, 171 sqq. — In seqq. pro deprehensus scribendum videtur deprensus. 7) Dicit ideo Martem prae Vulcano marito Veneri acceptum et adamatum fuisse, quia ille adulescens fuerit. 8) marhos Apogr. Sirm. Maios edd. omnes ex Rig. emend. mihi minime probata. 9) h. e. qui vulnerari possunt, vulneribus expositi. — In seqq. pro fata, quod edd. tenent, facilis esset correctio: fato. Sed cf. I, 33, 5. I, 17, 3. I, 26, 36. II, 2, 11. 10) curiosi edd. omnes;

Et filios totidem 1) mortales illi fecere;
Terribiles omnes, stulti, septizonio fortes.
Si stellas colitis, colite et bis sena sigilla
Tum, arietem, taurum, geminos, ferumque leonem,
Et denique *evadunt* 2) in piscibus, coque, probabis 3).
Lex sine lege fuga vestra quod vult esse valebit,
Lasciva vult esse, sine *fraeno* 4) vivere quaerit.
Ipsi quod vultis eritis, et deos et deas oratis.
Sic ego colui, dum erravi, quod modo 5) culpo.

VIII. DE SOLE ET LUNA.

De Sole et Luna, licet sint praesentanea nobis,
Erratis, quod, *ut* ego 6) prius, putatis oranda.
Sunt quidem in astris, sed non sua sponte currunt:
Omnipotens illos cum conderet omnia primum,
Locavit ibidem cum stellis quartâ dierum.
Errorem antiquus quin cum ***** 7)
Et quidem in Lege iussit, ne quis illos adoret.
Tot deos oratis, qui nihil de vita promittunt,
Lex quorum in terra non est, nec ipsi praedicti;
Vos autem seducunt sacerdotes pauci,
Numinis *qui* 8) dicant aliquid morituri prodesse.
Accedite, legite et discite verum.

IX. MERCURIUS.

Mercurius vester fiat cum abolla 9) depictus,

---

recepi Davisii emendationem. 1) h. e. itidem; ita et infra II, 25, 3. 2) sc. signorum zodiaci cultores. Edd. omnes habent vadunt, quod correxi. 3) Etenim qui bis sena zodiaci sigilla complectuntur versiculi vulgares, sic desinunt: „— — — Caper, Amphora, Pisces.“ Pergit Commodianus ridendo: coque probabis, h. e. non esse deos coquina ipsa probabit. (Rig.) 4) frario Apogr. Sirm., quod correxit Rigalt. 5) Cf. supra ad I, 4, 8. —

VIII. 6) Sic dedi ex emend. Davisii. Edd. habent quod ego prius. 7) Lacunam suppleo sic fere: Errorem antiquus (sc. Moses) quin cum *videret, notavit.* 8) Sic emendo cum Davisio. Edd. habent quid. —

IX. 9) Restitui lectionem Apogr. Sirm., cuius cur auctoritatem deseruerit Rigaltius et saraballo reposuerit, equidem non magis assequor, quam quomodo eum in ea re et reliqui editores sequi potuerint. Abollam dicit chlamydem. V. Müller. Archaeol. d. Kunst. §. 379. et §. 380. cum adnott. Ceterum in praegressis pro

Et galeam et *pileum* pennatus [1]) et cetera nudus.
Rem video miram, deum cum saccello [2]) volare:
Currite pauperculi cum gremio quo volat ille,
Ut sacculum effundat, vos extunc [3]) estote parati.
Respicite pictum: quoniam vobis sic ab alto
Iactabit [4]) nummos, vos *nunc* saltate securi?
Vane non insanis? colere deos pictos in axe [5])?
Si vivere nescis, cum bestiis perge morari.

X. NEPTUNUS.

Neptunum facitis deum ex Saturno pronatum,
Et tridentem gerit, ut pisces suffigere possit [6]).
Patet esse deum cumatilem [7]) illo paratu.
Troianis non ipse cum Apolline muros eduxit [8])?
Unde deus factus inops caementarius ille?
Non Cyclopem genuit monstrum [9])? Non *Magnus* [10]) et ipse
Vivere non poterat de suo? *quid* structura *merebat* [11])?
Sic genuit generatus qui fuit iam mortuus olim.

XI. APOLLO SORTILEGUS FALSUS.

Apollinem facitis citharoedum atque divinum.
Primum de *Magna* [12]) natus in insula Delo,

---

fit malim fiat. 1) et palam pennatus Apogr. Sirm. aut pileum pinnatus edd. omnes ex emend. Rigaltii. 2) V. Müller l. l. §. 380. 3) Corrigo vos tunc. 4) h. e. quoniam putatis eum sic vobis ab alto iactaturum esse nummos etc. — In seqq. post securi signum interrogationis posui, et pro tunc quod omnes edd. tenent, restitui nunc, sensu flagitante. 5) h. e. assere, ut recte interpretatur Davisius. V. Fest. s. v.

X. 6) Cf. Arnob. III, 31. 7) V. de hoc vocabulo Nonium p. 548. ed. Merc. 8) Serv. ad Aen. II, 610. 9) Homer. Od. I, 70. Hygin. Fab. 125. Serv. ad Aen. III, 678. cf. Intt. ad Eurip. Cyclop. v. 644. 10) marhus Apogr. Sirm. uti supra I,7, 9., quod emendavi. Edd. habent omnes: Maius ex emend. Rigaltii, sed nimis audacter hoc, ut mihi quidem videtur. Maius enim erat solius Iovis nomen apud Tusculanos, teste Macrobio Saturn. I, 12. — De negatione dupliciter posita v. Heins. ad Virg. Ecl. V, 25. Drakenb. ad Liv. XLIII, 13. Deder. ad Dict. Cret. IV, 28. Gloss. p. 351. Hildebr. ad Apul. I, p. 328. et ad Arnob. VII, 9. Olim malui: Num Magnus et ipse Vivere non p. sqq. 11) Sic emendavi. Edd. habent: quod structura gerebat, et quidem sine signo interrogationis. —

XI. 12) marhia Apogr. Sirm. Maia edd. ex emend. Rig.

Oblata mercede postmodum structor obsecutus
Laomedonti regi Troianorum muros eduxit,
Locavitque sese quem deum seducti putatis,
Ossibus cuius amor Cassandrae flagravit [1]),
Subdole quem lusit virgo, fallliturque [2]) divinus;
Officio vervecis [3]) potuit scire bicordem [4]).
Repudiatus enim [5]) discessit inde divinus.
Torruit [6]) hunc virgo specie, quam ille deberet [7]).
Illa prior, quae debuerat [8]) deum amavisse,
Lasciviens qui Daphnen sic [9]) coepit amare,
Et tamen insequitur, dum vult violare puellam:
Gratis amat stultus, nec potuit consequi cursu.
Vel, si deus erat, occurreret illi per auras:
Sub tectis illa prior venit, remansitque [10]) divinus.
Fallit vos gens hominum, nam *typho* [11]) tristi fuerunt.
A primitia quoque pecora pavisse fertur [12]).
Lusibus impositis dum mitteret discum in altum,
Sublapsum non potuit retinere, prostravit amicum:
Ultimus ille dies fuit Hyacinthi sodalis [13]).
Si divinus erat, mortem praescisset amici.

XII. LIBER PATER BACCHUS.

Liberum patrem certe bis genitum dicitis ipsi.
In India natus ex Iove *et* Proserpina [14]) primum,
Belligerans contra Titanas profuso cruore

1) Lycophr. Cass. v. 1454 sqq. Hygin. Fab. 93. 2) Fortasse reponendum virgo: fallitur qui divinus Off. sqq. 3) Officio haruspicis, qui exta vervecis inspexisset. 4) h. e. vafram, versutam, fallacem. 5) Fortasse exin corrigendum. 6) Edd. Terruit, quod emendo ex conj. Rigaltii. 7) sc. torrere. 8) Olim malui: Illa purior, quae respuerat. 9) h. e. quamquam repudiatus a Cassandra. 10) sc. foris, spe sua deiectus. 11) Sic emendavi pro vitioso bizo quod praebuit Apogr. Sirm. Edd. habent victu ex conj. Rig. Inest ironia; dicit gentem humanam typho tristi sprevisse suorum deorum gratias et amores. 12) Sic Cod. Sti. Albini Andegav. (teste Baluzio ad Cypr. Opp. p. 568.) et Apogr. Sirm., nisi quod hoc primutia et refertur habuisse Rigalt. refert. Schurzfl. (in cuius ed. voc. pecora prave omissum est) et Davis. cum Rig. ediderunt: Admeti quoque pecora pavisse refertur. — De re adeas Schol. ad Eurip. Alc. v. 1. et Hygin. Fab. 50. 13) Cf. Lucian. Dial. Deor. 6. Ovid. Met. X, 162.

XII. 14) Iove et Proserpina dedi ex emend. Davisii. In edd. et abest. — De re v. Hygin. Astron. 167. et 179. Nonn. Dionys.

Expiravit enim [1]) sicut ex mortalibus unus.
Rursus fato suo redditus [2]) in altero ventre;
Percipit hoc [3]) Semele iterum Iovis altera Maia [4]),
Abscisso cuius utero prope partum defunctae,
Tollitur et datur Niso [5]) nutriendus alumnus.
Ex eo bis natus Dionysus ille vocatur,
Religio cuius in vacuo [6]) falsa curatur.
Bacchantur et [7]) illi, qualia nunc ipsi videntur [8])
Aut *periculosae Mimallonesque sorores* [9]).
Conspirant in malo, proludunt ficto furore,
Ceteros ut fallant dicturos numen adesse.
Hinc manifeste vides homines simile [10]) viventes:
Vino permotati, primus quod expresserat ille,
Sub ludicro [11]) suo honorem illi dedere.

XIII. INVICTUS.

Invictus [12]) de petra natus [13]) si deus habetur,
Nunc *ergo retro* vos de istis [14]) date priorem [15]):

---

l. VIII. init. 1) Legendum fortasse exin; sed cf. supra I, 11, 9. II, 10, 1. II, 7, 8. — De re v. Intt. ad Arnob. V, 19. et ad Firmic. Matern. c. 6. Diod. Sic. III, 73. 2) Malim redditur. 3) hoc ferri vix posse videtur. Immo corrigas hunc 4) Gloss. Isid.: Maia, medica, obstetrix. 5) V. Hygin. Fab. 131. et 167. et quos laudavi ad Firm. Mat. c. 7. et ad Arnob. V, 28. 6) h. e. non intra templi parietes, sed in silvis ac montibus. 7) h. e. et bacchantur. Sed pro et rectius fortasse ut et pro illi reponendum fortasse illic (sc. in vacuo). 8) h. e. quales bacchationes bacchari vel hodie conspiciuntur. 9) Apogr. Sirm. et edd. habent corruptissime: Aut periculones Mimnermonisque sutores, quod emendavi. De voc. Mimallones v. Suid. et Hesych. s. v. et Stat. Theb. IV, 660. ibique Intt. Periculosae autem quare dicantur Bacchae constat vel ex iis, quae de Threicei vatis morte narrantur. Rigalt. conj. Mimnermomerique sutores („qui ex Mimnermi et Homeri carminibus in alium sensum consutis et concinnatis risum captabant in theatris“), quo iure aut felicitate alii videant. 10) Cf. supra ad I, 2, 15. 11) h. e. orgiis, bacchationibus. —

XIII. 12) De Mithrae „Dei Invicti“ cognomine in vett. marmoribus saepissime obvio v. quae citavi ad Firm. Mat. c. 5. Add. Orell. Inscriptt. Lat. Sel. 1908 sqq. tom. I, p. 342 sqq. Gruter. Inscr. p. 33 sqq. 13) Plutarch. de Fluv. tom. II, p. 1163. Hieronym. adv. Iovin. I, col. 149. ed. Bened. (tom. IV, Opp. P. II.) et v. quos locos laudavi praeterea ad Firm. Mat. c. 20. cf. etiam narrationem de Agdestide ap. Arnob. V, 5 sqq. 14) sc. petris vel lapidibus. Pro ergo retro quod ex emend. Rig. extat in editt., Apogr. Sirm. habuit: ego reticeo. 15) h. e. patrem. —

Vicit [1]) petra deum, quaerendus est petrae creator.
Insuper et furem adhuc depingitis esse [2]),
Cum, si deus esset umquam [3]), non furto vivebat.
Terrenus utique fuit et *monstruosa* [4]) natura,
Vertebatque [5]) boves alienos semper in antris [6]),
Sicut et Cacus Vulcani filius ille [7]).

XIV. SILVANUS.

Silvanus unde deus iterum apparuit esse?
Inde forte placet, eo quod bene fistula cantat,
Largitur quoniam lignum [8])? Nam forte non esset [9]).
Venalem [10]) emisti dominum: cum empseris, illi,
Aspice, deficit lignum! quid illi debetur [11])?
Non te pudet, stulte, tales adorare tabellas?
Unum quaere Deum, qui post mortem vivere docet [12]);
Secede ab istis, qui sunt biothanati [13]) facti.

XV. HERCULES.

Hercules quod monstrum Aventini montis elisit,
Evandri qui [14]) solitus erat armenta furari,

---

1) sc. aetate et vi vitali. Ceterum adnota lusum verborum, quod dicit petram vicisse deum invictum. 2) V. quae notavi ad Firm. Mat. c. 5. 3) esset utique cj. Rigalt. 4) Edd. monstrivora cum Apogr. Sirm. Recepi Rigaltii emendationem. De re v. Zoega Abhandl. p. 89 sqq. cum Welckeri Adnott. p. 394. cf. Creuzer Symb. I, p. 728. et quos laudant Intt. ad Arnob. VI, 10. 5) h. e. avertebatque. 6) h. e. in antra. Cf. supra I, 11, 16. sub tectis venit, et infra I, 24, 19 et 20. V. Muncker. ad Hygin. Fab. 50. 92., qui larga manu eius abusus exempla suppeditat. 7) Virg. Aen. VIII, 198. Ovid. Fast. I, 354. et Intt.

XIV. 8) h. e. quoniam fistula ei largitur bene cantare. 9) sc. deus. 10) h. e. vilem. In seqq. pro dominum Rig. cj. deum. 11) sc. honoris. 12) Ita edidi ex Apogr. Sirm. Edd. habent diat ex emend. otiosa Rigaltii. Vonck. in Lectt. Lat. I, p. 74. cj. sciat. Davis. cj. dicit. — In praegressis Rig. et cett. edd. distinguunt: dominum, cum empseris illi (sc. fistulam). Asp. 13) Chrysost. de Lazar. II, 727. tom. I.: *Πολλοὶ νομίζουσι τὰς ψυχὰς τῶν βιαίῳ θανάτῳ τελευτώντων δαίμονας γίγνεσθαι.* cuius opinionis rationem reddit Serv. ad Aen. IV, 386. Cf. Salm. ad Solin. p. 718. Lobeck Aglaoph. I, p. 223. Tertull. de Anima cap. 55. p. 329. Commodianus respicit h. l. sine dubio Titanas, de quorum cultu infra I, 20. dicturus est. —

XV. 14) sc. Cacus. Pronomen est ad sententiam structum. — De re cf. Liv. I, 7. Dion. Halic. I, 39. Ovid. Fast. I, 551.

Rustica gens [1]) hominum, indocilis quoque, pro laude
Cum gratias agere vellent, absenti Tonanti
Voverunt hostias [2]), inepti ut deo orando
Lactentes aras in memoriam sibi fecerunt [3]).
Ex eo provenit [4]), de vetusto more colatur.
Sed deus hic non est, licet fuit fortis in armis.

XVI. DE DIS DEABUSQUE.

Dicitis esse deos, qui sunt manifeste cruenti,
Et dicitis fata genesis [5]) adscribere vobis?
Dicite nunc ergo quibus primum sacra ferantur:
Inter utrimque vias [6]) mors immatura vagatur.
Si tribuunt fata genesis, cur deum [7]) oratis?
Deciperis, vane, qui Manes [8]) quaeris orare,
Et qui fabricantur dominos tibi nuncupas esse.
At [9]) feminas quoque nescio quas deas oratis,
Bellonam et Nemesin deas, Furiam [10]), unâ Caelestem,
Virgines [11]), et Venerem, cui coniuges vestrae delumbant [12]).
Sunt alia praeterea daemonia fanis,
Quae nec numerantur adhuc et in collo feruntur [13]),

Virg. Aen. VIII, 267. 1) Ita Apogr. Sirm. Edd. habent *mens* ex emend. Rigaltii minime necessaria. 2) In historiae fidem peccat Commodianus; non enim Aborigines, sed Hercules ipse Iovi mactavit hostiam. Ovid. Fast. I, 579. Dion. Halic. I, l. (Davis.). 3) Haec de Hercule capienda, cui „ara maxima" fuit ab Italis dicata. V. Liv. I, 7. Virg. Aen. VIII, 268. Dion. Halic. I, 40. Diversus abit Ovid. Fast. I, 581. (Davis.). 4) Puto scribendum: *provenit, ut de vetusto* etc. —

XVI. 5) h. e. γενέσεις, genituras cf. infra v. 5. 6) h. e. inter utrasque vias. 7) h. e. deos. 8) Cf. supra I, 2, 6. ubi *defunctos* appellat. 9) Edd. *Aut* quod emendavi. 10) Restitui ita ex Apogr. Sirm. Edd. habent *Fariam* ex vana Rig. emendatione, et sic distinguunt: *Fariam una Caelestem.* Sed Caelestis alia est dea. V. Intt. ad Tertull. Apol. cap. 12. et 14. Gruter. Inscrr. p. 318, 4. Th. Reines. ad primae Classis Inscr. XXIX. Orell. Inscrr. Latt. Sel. tom. II, p. 346 sq. Münter. Relig. d. Karthag. p. 62. (ed. sec.) Movers Phönizier p. 586 sqq. 11) Virginum nomine puto Musas appellatas. Sed forte Commodianus sub eo intellegi vult deas omnes, quas virginitatem sibi perpetuam servare fabulantur mythographi, ut Dianam, ut Minervam, ut alias. 12) h. e. delumbes fiunt, aut ut Rigalt. explicat, luxu lasciviaque fractae lumborum crispitudine fluctuant. 13) Ut solent amuleta.

Ut nec ipsi [1]) sibi possint rationem reddere. Pestes
Exportari magis in ultimas terras deberent.

XVII. DE SIMULACRIS EORUM.

Deludunt vos pauci scelerati vates inanes:
Extricare [2]) suam dum quaerunt vitam,
Subornant aliis *ex se* [3]) sub mysteria falsum.
Inde simulantes concuti numine quodam
Maiestatemque [4]) canunt et se sub figura fatigant.
Vidistis saepe *Dindymarios* [5]), quali fragore
Luxurias ineunt, dum furias fingere quaerunt,
Aut cum dorsa sua allidunt *spurca* [6]) bipenne:
Cum doctrina sua servant quod cruore sanant [7]).
Respicite quo non illos nomine cogunt,
Ipsis qui se primum componunt integra mente [8]);
Sed stipem ut tollant ingenia talia quaerunt.
Ex eo videte, quoniam sunt omnia ficta.
Obumbrant [9]) populum simplicem, perituri ni credant.
Res semel in vano de vetustate processit,
Ut [10]) vaticinanti credatur prodenti falsa,
Maiestas autem illorum nulla locuta est.

---

1) sc. qui colunt et tamquam φυλακτήρια secum in collo portant.

XVII. 2) h. e. expedire. — Deesse hic aliquid indicare videtur praeter modum claudicans versus. 3) Edd. aliis esse, quod emendavi. In seqq. pro sub mysteria forte corrig. sub mysterio; sed cf. infra I, 26, 41. 4) Legendum forte: Maiestateque. — In seqq. verba „sub figura" Rigalt. explicat per ficte, simulate, citans P. Syri illud: „Heredis fletus sub persona risus est." 5) Apogr. Sirm. Vid. saepe didemarios, Edd. Vidistis Dindymarios omisso voc. saepe. 6) Apogr. Sirm. parca. De ablativi forma bipenne v. Intt. ad Tibull. I, 7, 55. — De re v. Lucian. de Dea Syria p. 681.: Τέμνονταί τε τοὺς πήχεας καὶ τοῖσι νώτοισι πρὸς ἀλλήλους τύπτονται. Cf. Intt. ad Apul. Metam. VIII, 27. 7) Rigalt. interpretatur: Nequicquam doctrina sua servant, neque item cruore suo sanant. Olim putabam legendum: Cum doctrinae suae serviunt, quod cruore sanant? 8) Dicit spectatores, qui primum integra mente ad spectaculum et ad Gallos sese applicuerint, tandem torvitate illa ita permotari atque affici, ut ad stipes opimas largiendas religionis nomine sese cogi atque adduci patiantur. 9) Fallunt obiecta nube et umbra, fraudibus. 10) Hanc lectionem acrostichidis ratio postulat. Edd. habent Et. —

XVIII. DE AMMUDATE ET DEO MAGNO.

Diximus iam multa de superstitione nefanda
Et tamen exsequimur, ne quid praeterisse dicamur.
Ammudatemque [1]) suum cultores more colebant;
Magnus erat illis, quando fuit aurum in aede,
Mittebant capita sub numine quasi praesenti.
Ventum est ad summum, ut Caesar tolleret aurum,
Defecit numen aut fugit aut transit in ignem.
Auctor huius sceleris constat, qui formabat eundem.
Tot viros et magnos seducit false prophetans,
Et modo reticuit qui solebat esse divinus.
Erumpebant enim voces, quasi mente mutata [2]),
Tamquam illi deus ligni loqueretur in aurem [3]).
Dicite nunc ipsi, si non sint numina falsa?
Ex eo prodigio quod perdidit ille propheta?
Oblitus est iste prophetare qui ante solebat.
Monstra adeo ista ficta sunt per vinivoraces [4]),
Audacia quorum damnabilis numina fingit.
Gestabant [5]) enim, et aruit tale sigillum:
Nam et ipse silet, nec ullus de illo prophetat
Omnino; sed vos ipsos perdere vultis.

XIX. NEMESIACIS [6]) VANIS.

Non ignominium est, virum seduci prudentem
Et colere talem aut Dianam dicere lignum [7])?
Mane ebrio, crudo perituro creditis viro,

XVIII. 1) De deo hoc Ammudate tota silet antiquitas, neque ex iis quae in sequentibus de fato eius memorat Commodianus, quis aut cuias fuerit colligi potest. 2) Virg. Aen. IV, 595. Olim cj. motata. 3) Ironia; fingit enim materiae deum (si qui sit) Magno illo ipso prudentiorem. 4) h. e. vinolentos. 5) h. e. colebant. —

XIX. 6) Memorantur in Cod. Theodos. XIV, 7, 2. ubi v. Gothofredi adnotationem. 7) De his atque sequentibus haud abs re esse videtur apponere locum ex Maximi Taurinensis Serm. XXXII. (Galland. Bibl. IX, 401. et in Muratorii Raccolt. tom. IV.): „Quum cellam ingressus fueris, reperies in ea pallentes cespites mortuosque carbones — si ad agrum processeris, cernis aras ligneas et simulacra lapidea — quum maturius vigilaveris et videris saucium vino rusticum, aut Dianaticus aut aruspex est. Insanum enim numen amentem solet habere pontificem — Talis sacerdos parat se vino ad plagas deae suae — est ei adulterinis

Ex arte qui ficte loquitur *quod* [1]) illi videtur.
Severe dum agit, sibi viscera pascit [2]),
Incopriat [3]) cives unus detestabilis omnes
Adplicuitque sibi simili collegio facto,
Cum quibus historiam fingit, ut deum adornet [4]).
Ipsa sibi nescit divinare, ceteris audet.
Succollat quando libet eum [5]), et quando deponit,
Vertitur a se [6]) rotans cum ligno bifurci [7]),
Ac si putes illum afflatum numine ligni.
Non deos vos colitis, quos ipsi false prophetant:
Ipsos sacerdotes colitis, in vano timentes.
Sed si corde viges, fuge iam sacraria mortis.

XX. TITANES.

Titanas vobis Tutanos [8]) dicitis esse.
Immotos [9]), *tacitos* sub culmine vestro rogatis.
Tot lares, *aediculae* [10]), simulacra ficta Titano!
Adoratis enim stulti malo leto defunctos [11]),
Non legem ipsorum legentes. Non ipsi loquuntur,

---

criniculis hirsutum caput — ferrum gestat." Cf. Lobeck Aglaoph. tom. II, p. 1085 sqq. 1) Edd. quid. 2) h. e. sibi victum quaerit. Cf. supra I, 17, 10 sqq. Apul. Metam. VIII, 28. fin. 3) h. e. imponit, illudit. Gloss. Isid.: „Scurrula, qui incopriat" et: „Scurra, qui incopriatur" (leg.: incopriat). Cf. Reimar. ad Dion. Cass. L, 26. p. 624. et Lobeck Aglaoph. II, p. 1318. Apogr. Sirm. habuit Incopiat. 4) h. e. fingat. 5) Fortasse legendum: deum. 6) Puto ac se emendandum esse. 7) Locus perobscurus. Rigaltius adnotat Agrimensoribus terminum dici bifurcium, ungulam bifurcam. Cf. etiam, si tanti est, quae profert Lobeck in Aglaoph. II, p. 1085. et p. 1328. adn. —

XX. 8) h. e. tutelares. Inepta quidem etymologia, Titanes derivare a tutando. Revera tamen hominibus suppetias ferre censebantur Titanes, unde natum proverbium: *Τιτᾶνας βοᾶν· ἐβοήθουν γὰρ ἀνθρώποις ἐπακούοντες*, ut ex Nicandro refert Suid. s. *Τιτανίδα γῆν*. Titanas vero a Mauris cultos esse tradit Arnob. I, 36. ubi vide quae adnotavi. 9) Apogr. Sirm. corrupte: Aut mutas, tacitas, edd. ex emend. Rig. praebent: Immites tacitos. Davis. cj. Ita Mutae Tacitae „nam Lares Mutae Deae filii. Lact. Div. Instit. I, 20. Ovid. Fast. II, 572. 583." Reposui veram lectionem. 10) Edd. aediculas. 11) Hunc versum ita exstare in Cod. Sti. Albini Andegav. testis est Baluz. ad Cypr. Opp. p. 567. — De re cf. Apollod. Bibl. I, 1, 3. et Diodor. Sic. V, 66.

Et deos audetis aeramine dicere fusos?
Solveritis eos magis in vascula vobis [1]).

XXI. MONTESIANIS.

Monteses deos [2]) dicitis: dominentur in auro [3])
Obscurati malo, aliena mente iuvantes.
Nam si purus animus et mens serena manerent,
Tu tibi de illis ipsi disputare deberes.
Excordaris [4]) homo, si putas, ut ipsi te salvent.
Seu regant seu minuant; si quid tu sani requiris,
Iustitiam Legis quaere magis: illa salutis
Auxilium portat et fieri dicit aeternum.
Nam quod *inanes* [5]) sequeris, per tempora *gaudes*,
In brevi laetaris et postmodum plangis in imis:
Subtrahe te illis, si vis resurgere cum Christo.

XXII. HEBETUDO SAECULI.

Heu doleo, cives, sic vos hebetari de mundo!
Excurrit alius ad sortes, aves aspicit alter,
Balantum cruore fuso [6]), manus inspicit alter [7])

---

1) V. Intt. ad Minuc. Fel. Octav. cap. 23. cf. Iuvenal. Sat. X, 64.

XXI. 2) Ita vetustissimus Cod. Sti Albini Andegavensis teste Baluzio ad Lactant. de Mortib. Persecut. cap. 11. et Apogr. Sirm. Rigaltius et cett. edd. dederunt Montes et deos. Si quid ariolandum, aptius fortasse Montes esse deos corrigi poterat. Sed retineo Cod. lectionem et puto Monteses, unde Montesianos Commodianus denominat, eosdem esse quos alias Montenses appellatos invenimus. Sic in Inscr. ap. Gruter. 41, 7. (ap. Orell. tom. I, p. 292. nro. 1455.) „Nemoresis" Diana est „Nemorensis". Sed qui apud Gruter. p. 21. in inscriptione sunt obvii Dii Montenses, ex quorum praecepto refertur positam fuisse aram Iovi Fulguratori, vereor, ut sint pro iisdem habendi cum Montesibus his apud Commodianum memoratis, quibus, fere ut Cobalis apud nostrates, auri in terrae visceribus latentis custodia tributam fuisse legimus. Cf. Plin. H. N. XXXIII, Praef. Ceterum de Montium apud veteres cultu superstitioso multi sunt Io. Columbus, Gisb. Cuperus et Graevius ad Lactantii l. l. Cf. etiam Orell. Inscriptt. Lat. I, p. 363. nro. 2107. 3) nominentur in auro Apogr. Sirm. in arvo quod reposuerat Rigalt. in ed. pr. ex sententia Sirmondi, postea correxit. 4) h. e. excors es. 5) inanes et in seqq. gaudes reposui cum Davisio, cum edd. sine sensu praebeant in vanis et gaudet.

XXII. 6) Confundit augures atque aruspices. Davisii emendatio cruore fuso manes elicit non placet. 7) V. Suid.

Et cupit audire responsa vana credulus.
Tot duces et reges, ubi sunt consulti [1]) de vita,
Vel portenta [2]) sua scisse quid profuit illis?
Discite quaeso bonum, cives, simulacra cavete:
Omnipotentis enim in Lege quaerite cuncti.
Sic ipsi complacuit Domino dominorum in altis,
Ad probationem nostram daemonas in mundo *vagari* [3]).
Et tamen ex alia parte mandata praemisit,
Caelestes fieri qui relinquunt aras eorum.
Unde non hoc curo disputare parvo libello:
Lex docet, in medio *ciet* [4]): Consulite pro vobis [5])!
In duas instrastis vias: *condiscite* rectam [6]).

XXIII. DE UBIQUE PARATIS.

Dum ventri servis, innocentem esse te dicis,
Et quasi communis [7]) facis te ubique paratum.
Vae tibi, stulte homo, mortem circumspicis ipse,
Barbaro de more sine lege vivere quaeris.
Ipse tibi *hymnifica* [8]) etiam in cinere [9]) de Verbo!
Qui simplicem fingis, simpliciter vive cum isto [10]).
Vivere te credis, dum ventrem cupis implere,
Exiguus tua in domo residere prave
Paratus ad epulas et refugiscere praecepta,
Aut quia discredis Deum iudicare defunctos.

---

s. v. *Οἰωνιστικήν*. 1) sc. augures, aruspices. Durissima constructio. Olim putabam corrigendum esse: Tot (sc. aruspices) ducis aut regis ubi sunt consulti de vita. 2) Quibus de se aliquid significatur ac praemonstratur. Glossae Vett.: Portendit, *σημαίνει διὰ τέρας*. (Rig.) 3) sc. et homines fallere atque decipere in avium volatu, in pecorum fibris aliisque in rebus. — Pro vagari Cod. Sti. Albini Andegav. habet vagi, teste Baluzio ad Cypr. Opp. p. 571. 4) h. e. Lex in medio inter duas vias posita clamat. — Pro ciet, quae est Rigaltii et Sirmondi emendatio et reliquis edd. recepta, Apogr. Sirm. habet vitiosa eret. 5) Rig. et Sirmond. cj. Consulite vobis. 6) condicite rectam Edd. omnes, quod correxi ex emendatione Davisii. — De duobus viis multa collegerunt Menardus et Cotelerius ad Barnab. cap. 18. — XXIII. 7) Ambiguum erat in Apogr. Sirm. communis legi deberet an comis. 8) hynnificis Apogr. Sirm. hymnificas Rig. et cett. edd. 9) h. e. in cinere et sacco accine tibi carmina paenitentialia. — Pro in cinere, quod a me emendatum est, omnes edd. habent incinere quod Schurzfl. explicat per accinere. 10) sc. Verbo.

Rectorem caeli facis te inepte pro illo,
Aspicis ad ventrem, quasi tu sis providus illi.
Tu modo profanus, modo sanctus esse videris.
In supplicem prodis dei sub aspectu tyranni [1]).
Senties in fatis cuius modo lege iuvaris.

XXIV. INTER UTRUMQUE VIVENTIBUS.

Inter utrumque putans dubie vivendo cavere,
Nudatus a Lege, decrepitus luxu *procedis* [2]).
Tot vane prospicis, quid quaeris iniqua?
Et quicquid egisti, istinc remanere defuncto
Respice tu stulte. Non eras, et ecce videris,
Unde processisti nescis nec unde nutriris:
Tu Deum excelsum fugis tuae vitae benignum
Rectoremque tuum, qui te magis vivere vellet;
Vertis te in faciem et dorsum Deo remittis,
Mergis te in tenebras, dum putas te in luce morari.
Quid in synagoga decurris saepe *bifarius* [3])?
Ut tibi misericors fiat quem denegas ultro?
Exis inde foris, iterum tu fana requiris,
Vis inter utrumque vivere, sed inde peribis.
Insuper et dicis: Quis est, qui a morte redemit?
Ut credamus ei, quoniam ibi poenae aguntur.
Eia, non sic, ut putas esse, maligne;
Nam illi prodest [4]) post funera, recte qui vixit.
Tu tamen mox moriens duceris in loco maligno,
In Christo credentes autem in loco benigno,
Blanditurque quibus haeret amoenitas illa.
Vobis autem dubiis *intus* [5]) sine corpore poenâ
Suscitat in fratrem tortoris [6]) ordo clamare.

---

1) h. e. sub aspectu Iovis, tyranni dei, ex Christi assecla fis subito illius supplex. —

XXIV. 2) procedis dedi ex emend. Davisii. Edd. praebent: praecedis, quod defendere conatur Rigalt. ita: „Praecessisse dicuntur Christiani, qui sunt in Ecclesiae pace dimissi ad Dominum.“ 3) decurris saepe bifarios Apogr. Sirm. decurris ad Pharisaeos edd. omnes. Bifarius appellatur qui modo Christianum, modo Iudaeum aut ethnicum sese ostendit; in synagoga decurrere dictum uti infra v. 19. duceris in loco maligno. Cf. supra ad I, 13, 7. 4) sc. recte vixisse. 5) Ita emendavi. Edd. habent in vos. — Poenam dicit ignem aeternum, qui etiam animas torret exutas corpore. 6) Rig. primum edi-

XXV. QUI TIMENT, ET NON CREDENT.

Quamdiu, stulte homo, Christum agnoscere non vis?
Vitas agrum pinguem et sterili semina iactas?
In silva manere quaeris, ubi latro moratur?
Tu dicis: Et ego Dei sum, et foras oberras?
Ingredere iam nunc toties invitatus in aulam:
Matura iam messis, tempus totidemque [1]) paratum,
Ecce modo mete. Quid? non te paenitet? Inde
Nunc si non habes, collige, vindemia vina.
Tempus *abest* [2]) vitae credendi tempore mortis.
Est Dei Lex prima fundamentum posterae Legis;
Te quidem signabat crediturum in Lege secunda,
Nec minae ex ipso [3]), sed ex ipsa tibi potentes:
Obstupe iam factus [4]) iura te credere Christo,
Nam Testamentum Vetus de illo proclamat.
Credere enim opus est tantum in ipso defuncto
Resurgere posse, vivere tempore toto [5]).
Ergo si quis ea discredis esse futura,
Dummodo vincetur reus in morte secunda [6]),
Eventura canam paucis in isto libello;
Nam cognosci potest, ubi [7]) sit spes anteponenda.
Tamen vos adhortor quantocius credere Christo.

XXVI. REPUGNANTIBUS ADVERSUS LEGEM CHRISTI DEI VIVI.

Respuis infelix bonum [8]) disciplinae caelestis

---

derat tentatoris, sed postea correxit. Ordo tortoris sunt Diaboli apud inferos ministri carnifices. Per fratrem intellegit fidelem, Christianum. Suscitat in fratrem clamare h. e. advocare fratris auxilium, sicuti faciebat dives ille purpuratus clamans ad Lazarum, ut intingueret extremum digiti sui in aquam. Evang. Lucae XVI, 24. —

XXV. 1) V. supra ad I, 7, 13. 2) Sic emendavi. Edd. habent adest. 3) sc. Deo. Nam te salvum fieri vult Deus, ideoque posita lege monstravit tibi viam salutis, quam si pravitate tua derelinquas, iam ipsa tibi via comminatur exitium. (Rig.) 4) Tmesis. 5) h. e. Credere enim defuncto non aliud opus est, quam resurgere posse et toto tempore vivere, vel: credidisse in defuncto nihil aliud valet quam resurgere posse. 6) h. e. cum certum sit reum in morte secunda convinci atque damnari. Cf. Apocalyps. 2, 11. Commodian. Instr. II, 3, 11. 7) h. e. cuiusnam partis, credendi, an non credendi. —

XXVI. 8) Fortasse legendum donum pro bonum. —

Et ruis in mortem, dum vis sine fraeno vagari.
Perdunt te luxuria et brevia gaudia mundi,
Unde sub inferno cruciaberis tempore toto.
Gaudia sunt vana, quibus oblectaris inepte.
Non illa te reddunt hominem fuisse defunctum [1]).
Anni te non possunt iam triginta reddere doctum?
Nescius si primum errasti, respice canum.
Tu putas nunc vitam istic [2]) perfrui laetam
Iniurias inter? ibi sunt damna tuorum,
Bella vel infandae fraudes, cum sanguine furta,
Ulceribus corpus vexatur, gemiturque, ploratur,
Seu *levis* [3]) invadit, aut longo morbo teneris,
Aut natis orbaris, aut perdita coniuge defles.
Deseritur totum [4]). Heu ruunt dignitates ab alto
Vitiis, pauperie dupliciter certe si *langues* [5])!
Et dicis vitam, ubi vitrea vita mortalis [6])?
Respice iam tandem hoc tempus inritum esse:
Sed in futuro tibi spes est sine dolo [7]) vivendi.
Vivere volebant, utique parvuli rapti [8])
Sunt [9]): vita privati iuvenes senescere forte
Laetificos [10]) dies perfruique ipsi parabant,
Et tamen inviti reponimus omnia mundo [11])?
Gens! et ego fui perversa mente moratus
Et vitam istius saeculi veram esse putabam
Mortemque similiter sicut vos iudicabam adesse,
Cum semel exisset, animum periisse defunctum.
Haec autem sic non sunt, sed conditor orbis et auctor

---

1) Gaudia mundi non possunt ex te mortali homine facere immortalem. 2) sc. in mundo. 3) sc. morbus; levis scripsi ex emend. Davisii. Edd. habent leves. 4) h. e. tota vitae spes. 5) Dicit dignitates vel felices res ab alto ruere fere vel propter duas has causas, vitia et pauperiem. Aliter certe mihi hunc locum explicare nequeo. Pro languis quod edd. tenent, reposui langues. 6) Malim: Et dicis vitam uti vitreâ vitâ mortales? 7) sc. malorum tuis rebus ita infesto. Davis. cj. dolore pro dolo. 8) Morbis et omni genere malorum de spe sua, quam de vita eiusque gaudiis conceperant, deiecti perierunt veluti parvuli matris uberibus erepti. 9) Edd. Sed, quod quum ferendum non videretur, in Sunt mutavi. 10) Sic emendavi pro Laetitios quod in edd. extat. 11) h. e. et tamen, cum compertum sit, totum mundum malis scatere, dubitamus mundo reponere vitae aeternae gaudia.

Requisivit enim [1]) fratrem a fratre peremptum.
Impie dic, inquit, ubinam frater [2])? Ille negavit.
Sanguis enim fratris ad me proclamavit in altum.
Torqueris, video, ubi nil sentire putabas,
Ille autem vivit et loca dextera tenet,
Delicias fruitur, quas tu perdidisti, nefande,
Et [3]) cum revocasti saeculum [4]), et ille praegressus
Immortalis erit; nam tu sub tartara [5]) planges.
Vivit certe Deus, qui defunctos vivere fecit,
Innocuisque [6]) bonis ut reddat praemia digna,
Vesanis autem et impiis tartara saeva.
Incipe sentire iudicia Dei seducte!

XXVII. STULTE NON PERMORERIS DEO.

Stulte, non permoreris nec mortuus effugis Altum,
Tu licet disponas nihil te sentire defunctum.
Vinceris insipiens: vivit Deus conditor orbis,
Legitima cuius clamant valere defunctos.
Tu autem dum praeceps sine Deo vivere quaeris,
Extinctum [7]) in fatis iudicas et fatale credis.
Non ita disposuit, ut tu putas, Deus aeternus,
Oblivitos [8]) esse mortuos de gesto priore.
Nunc nobis imperitans fecit receptacula mortis,
Post cineres [9]) autem nostros videbimus illa
Exuere stulte, qui putas, per funera ut non sis [10]),
Rectorem dominumque tuum nil posse [11]) fecisti.
Mors autem in vacuum non est [12]), si corde retractes.
Optandum [13]) noscas, nam sero senties illum:

---

1) h. e. utique, enimvero; cf. supra I, 11, 9. et I, 12, 4. 2) Ad Cainis et Abelis historiam respicit, Genes. 4, 9. 3) h. e. Et quidem. 4) Repugnans adversus Domini leges revocasti saeculum, revocasti diabolum, cui renunciaveras. 5) Forte sub tartaro; sed vide supra I, 17, 3. 6) Particula que posita eodemsensu quo supra v. 35. particula Et. —

XXVII. 7) Davis. voc. Extinctum interpretatur per extinctionem, mortem. Sed potest etiam pro participio haberi et referri ad Deum. 8) h. e. Oblitos. Perperam enim Schurzfl. explicat per: oblivione traditos. 9) Apogr. Sirm. habebat Reserveris pro Post cineres, quae est Rigaltii emendatio ab cett. edd. recepta. 10) Verbum „putare" cum particula „ut" constructum habuimus iam supra I, 21, 5. 11) h. e. nil potentem. 12) h. e. non in perpetuum nos tollit. 13) sc. Deum Patrem ac

Rector eras carnis, non te certe caro regebat;
Exemptus ab illa reconditur illa, tu horsum;
Recte mortalis homo separatur a carne.
Idcirco non poterunt oculi mortales *caecari* [1]):
Sic habet abyssus noster [2]) de Dei secreto.
Da nunc ergo Deo, fragilis dum moreris, honorem,
Et crede, quod Christus vivum te de mortuo reddet.
Omnipotenti laudes in ecclesia reddere debes.

XXVIII. IUSTI RESURGUNT.

Iustitia et bonitas, pax et patientia [3]) vera
Vivere post fata faciunt, et cura de actu:
Subdola mens autem, noxia, perfida, prava
Tollit se in partes et fera morte moratur [4]).
Impie nunc audi, quid per malefacta lucraris,
Respice terrenos iudices, in corpore qui nunc
Excruciant poenis diros [5]): aut ferro parantur
Supplicia meritis aut longo carcere flere.
Ultime tu speras Deum irridere caelestem
Rectoremque poli, per quem sunt omnia facta?
Grassaris, insanis, detractas nunc et Dei nomen?
Unde non effugies, poenas per factaque ponet.
Nunc volo sis cautus, ne venias ignis in aestum.
Trade te iam Christo, ut te benefacta sequantur.

XXIX. DIVITI INCREDULO MALO.

Differes dives nimium tua cuncta videndo
Insatiabiliter, quibus adhuc adhaerere quaeris.
Vivere post ista, dicis, non spero defunctus.
Ingrate summo Deo, qui sic Deum iudicas esse,
Te qui *nescientem* [6]) protulit, deinde nutrivit;
Ipse prata tua gubernat, vineas ipse,
Ipse gregem pecorum et quicquid possides ipse,
Nec istis attendis aut tu regis omnia forte.
Caelum hoc et terram et maria salsa qui fecit

---

dominum nostrum. 1) Edd. aequari sine sensu, quare caecari reposui. 2) sc. cordis. —

XXVIII. 3) Davis. cj. sapientia. 4) Olim placebat emendatio voratur. 5) h. e. maleficos. —

XXIX. 6) nesciente edd. omnes; nescientem dedi ex

Reddere decrevit nos ipsos in aureo saeclo,
Et modo si credis, vivitur in Dei secreto.
Disce Deum, stulte, qui vult te immortalem adesse,
Ut gratias illi referas in agone perennes.
Lex docet ipsius, sed quia vagari tu quaeris,
Omnia discredis, et inde in tartaros ibis:
Mox animam reddis, duceris quo te paenitet esse,
Adluitur ibi poena spiritalis aeterna,
Lugia [1] sunt semper, nec permoreris in illa,
Omnipotentem Deum iam nunc ibi sero proclamans.

XXX. DIVITES HUMILES ESTOTE.

Disce moriture bonum [2] te ostendere cunctis.
In medio populi quid te facis [3] alterum esse?
Vadis ubi nescis, et inscius inde recedis;
Impie tractas, cum ipso corpore sitis
Tu semper divitias, nimium te tollis in altum
Et typhum ducis, nec respicis pauperes ultro [4]
Subditos nunc vobis, nec parentes pascitis ipsos.
Heu miseri! fugiant longius mediocres a vobis.
Vixit et *exivit* pauper [5], ΕΥΡΗΚΑ *clamat:*
Mox furiis ageris, cum pereas ipse, Charybdis [6].
Indisciplinati sic vos divites estis:
Legem datis istis, non vobis paratis ipsis.
Exue te, dives, tantis malis, Deo perversus,
Subveniat [7] utique tibi quod nunc operasti *in morte* [8]
Estote comes minimis, dum tempus habetis,
Sicut ulmus amat vitem, sic ipsi pusillos.

---

emend. Davisii. 1) h. e. luctus. Vocabulum lugium formatum a lugere, ut ab dolere dolium, quod reperitur infra II, 31, 1. ubi cf. adnot. Et supra I, 26, 19. pro sine dolo vivendi fortasse reponendum erat sine dolio vivendi. —

XXX. 2) h. e. liberalem. 3) Olim cj. faris. 4) Edd. omnes post ultro maiore signo incidunt. 5) Sic emendavi. Apogr. Sirm. habuit: Vixit et extinxit pauper, Edd.: Vixit: et, Extinxi: Pauper. In seqq. pro Ebrea clamor, quod in Apogr. Sirm. extabat, Rigaltii emendationem retinui cum cett. edd. Lacrozius et Schurzfl. cj. Vixit et extinxit pauperes saeculi amore. 6) Charybdim dicit infernam voraginem. 7) Pro Subveniat fortasse Subveniet reponendum est. 8) Edd. operasti, si forte, sine sensu, unde emendavi locum. — De verbo operare pro „operari" usurpato cf. I, 31, 1. et I, 39, 5. ubi „Intuite", et

Terribilem legem malis, bonis aeque benignam
Observa nunc sterilis [1]), subtutus in prosperis esto:
Tollite corda fraudis divites et sumite pacis,
Et spectate malum vestrum. Benefacitis? Adsum [2]).

XXXI. IUDICIBUS.

Intuite dicta Salomonis, iudices omnes,
Uno verbo suo qualiter vos ille detractat.
Dona quam et xenia corrumpunt iudices: inde,
Inde ius sequitur; datores semper amatis,
Cumque erit causa, victoria tollit iniquam [3]).
Innocens sic ego sum, nec vos incuso pusillus,
Blasphemium [4]) tollit Salomon quia aperte.
Vobis autem Deus est venter et praemia iura.
Suggerit hoc Paulus Apostolus [5]), non ego, duplex [6]).

XXXII. SIBI PLACENTIBUS.

Si locus aut tempus favet aut persona provexit,
Iudex esto novus [7]). Quid nunc extolleris inde?
Blasphemas [8]) indocilis, de cuius praestantia vivis
In fragilitate tanta non respicis unquam.
Per gradus et lucra avidus fortunae praesumis,
Lex tibi non ulla est, nec te in prosperitate dinoscis.
Auro licet censeantur, bacchent [9]) aulica semper,
Cruciarium Domini si non adorasti, peristi.
Et locus et tempus et persona tibi donatur

I, 32, 7. ubi „bacchent“ simili licentia dixit. 1) Cf. infra Instr. II, 13. — In seqq. pro subtutus, quod Schurzfl. nescio quo iure interpretatur per: subtristis, aut ipsum subtristis reposuerim aut etiam subcautus vel submissus, vel simile aliquid. 2) Hoc ex persona Dei misericordiam offerentis et resipiscenti gratiam atque auxilium praesentissimum suggerentis, se ipsum videlicet omnimodae felicitatis auctorem. (Rigalt.) —

XXXI. 3) Retinui lectionem Apographi Sirm., quae potest defendi. Edd. habent: victoriam tollit iniqua, ex emend. Rigaltii. 4) Blasphemium vocabulum formatum ut supra „ignominium“ I, 19, 1. 5) Respicit Pauli Ep. ad Philipp. III, 19. 6) h. e. dolose, praevaricator. —

XXXII. 7) h. e. novum magistratum adeptus. 8) Forte legendum Blasphemans. 9) Pro „bacchentur“ (cf. supra I, 31, 1. „Intuite“, et I, 30, 14. „operasti“) h. e. resonant. Aulica dicit comessationes splendidae et sumptuosae. Schurzfl. verba bacchent aulica interpretatur per: „crepent, iactent au-

Nunc, si tamen credis: sin autem pro eo timebis,
Tempera [1]) te Christo et cervicem illi depone:
Isti honor remanet et tota fiducia rerum.
Blanditur quando tibi tempus, cautior esto.
Ultima fatorum non providens quae te oportet,
Sine Christo reviviscere non potes unquam.

XXXIII. GENTILIBUS.

Gens sine pastore ferox iam noli vagare [2]).
Et ego qui moneo idem fui, nescius errans.
Nunc ideo Domini figuram sumite vestri [3]),
Tollite corda fera et exasperata sursum:
Intrate *stabulis silvestri* ad praesepia tauri [4]),
Latronibus tuti sub regia tecta manentis.
In silva lupi sunt, ideo refugite sub antro,
Bellaris, insanis nec respicis ubi moraris.
Uni crede Deo, uti mortuus vivere possis
Surgas et in regno, cum fiet resurrectio iustis.

XXXIV. ITEM GENTILIBUS IGNARIS.

Indomita cervix respuit iugum ferre laboris,
Tunc iuvat in campis crassis satiari *siliquis* [5]),

---

lam", quod ego non intelligo. 1) Rigalt. interpretatur: Obtempera Christo, compone vitam tuam ad Christi leges, secundum mandata Christi. —

XXXIII. 2) Cf. supra ad I, 32, 7. 3) h. e. induite Christum Dominum (cf. Paul. Ep. ad Rom. 13, 14.), adsumite eius mores h. e. servate mandata eius et praecepta. 4) Sic Apogr. Sirm., nisi quod stabilis praebet pro stabulis, Rigaltius corrupit locum quum emendaret et in textum reciperet: stabiles Silvestri ad praesepe pastoris, nempe ut opinionem suam de aetate Commodiani stabiliret. Recte enim Davisius monet de Silvestro Papa ne minime quidem somniasse Commodianum, sed ethnicos appellat silvestros tauros, quibus fera corda v. 4. exprobraverat. Cf. I, 34, 5 et 17., et I, 25, 2 sqq. Sirmond. cj. Intrate stabiles vestra ad praesepia tauri, Dodwell. cj. Intrate stabula silvestris ad praesepia tauri, prob. Davis. (qui tamen cum Schurzfl. in textu retinuit Rigaltii interpolationem) et cit. Guil. Caveum Hist. Litt. P. II, p. 57. — Ipse quidem servandam putavi Apographi auctoritatem etiam in voc. silvestri, licet hoc adiectivum non meminissem me apud ullum scriptorem ad secundam declinatum invenisse. —

XXXIV. 5) Ita edd. ex emend. Rig. Apogr. Sirm. habuit ca-

Et tamen invita domatur utilis equa
Minuiturque [1]) ferox esse, primum dedomata.
Gens, homo, tu frater, noli pecus esse ferinum,
Erue te tandem, et tecum ipse retracta:
Non utique pecus nec bestia es, sed homo natus,
Tu te ipse doma sapiens et intra sub arma [2]).
Idola qui [3]) sequeris, nihil nisi vanitas aevi;
Levia vos corda perdunt paene liberatos.
Ibi [4]) aurum, vestes, argentum ulnis refertur,
Bellatur ibi, dein cantatur pro psalmis amor [5]):
Vitam esse putas ubi ludis aut prospicis ista?
Sortiris, ignare, extincta, aurea quaeris;
Inde non effugies pestem, licet ipse divinus [6])
Gratiam [7]) quam misit Dominus in terra legendam,
Non requiris eam, sed sic quasi bestius *erras* [8]).
Aurea praefata venient tibi saecla si credis,
Rursus et incipies immortale vivere [9]) semper.
Illud quoque datur scire quod ante fuisti:
Subiectum te praebe Deo, qui cuncta gubernat.

XXXV. DE LIGNO VITAE ET MORTIS.

Adam protolapsus, ut Dei praecepta vitaret,
Belias tentator fuit de invidia palmae,
Contulit [10]) et nobis seu boni seu mali quod egit
Dux nativitatis [11]), morimur indeque per illum,
Ex divino ipse, ut [12]) recedens exul a verbo.
Finitis sex millibus annis immortales erimus.
Gustato pomi ligno mors intravit in orbem:
Hoc [13]) ligno mortis generamur vitae futurae.

---

liglis. Mallem cauliclis vel coliclis (h. e. coliculis). 2) h. e. prohibetur ferox esse vel minuitur ferocia. 2) Rigalt. explicat: Intra in castris Christianorum, fias miles Christi, in Ecclesia Christi. Quam interpretationem non probat Davis. qui emendat: intra sub antro, quod sane non displicet. Cf. supra I, 33, 7. 3) Forte scribendum: Idola, quae sequeris, nihil nisi van. aevi: Levia sqq. 4) sc. in vanitate aevi. 5) Edd. pro psalmis Amor. 6) h. e. etiamsi divinus esses, ut pestem futuram prospicere posses. 7) h. e. divina scripta. 8) Edd. errans, mendose. 9) Cf. supra ad I, 2, 12. —

XXXV. 10) sc. Adam protolapsus. 11) Edd.: Dux nati nativitatis; delevi medium vocabulum ex emend. Davisii. 12) Olim pro ut malui at vel etiam erat. 13) sc. crucis.

In ligno pendet vita ferens poma, praecepta:
Capite [1]) nunc vitalia poma credentes.
Lex a ligno data est homini primitivo timenda,
Mors unde provenit neglecta Lege primordi [2]):
Nunc extende manum et sume de ligno vitali.
Optima Lex Domini sequens [3]) de ligno processit;
Perdita Lex prima; gustat unde licet *ille* [4]),
Qui Deos adorat vetitos, mala gaudia vitae,
Respuite gustum; sufficiet scire quod esset [5]).
Si vivere vultis, reddite vos Legi secundae,
Templorum culturas, daemonum fata [6]) vitate.
Vertite vos Christo, et eritis Deo sodales.
Xanta [7]) Dei lex est, quae mortuos vivere docet.
Ymnum [8]) sibi solus Dominus proferre praecepit,
Zabolicam [9]) legem omnes omnino vitate.

XXXVI. DE CRUCISTULTITIA [10]).

De duplici ligno dixi, mors unde processit,
Et iterum inde procedere vitam frequenter [11]),
Crux autem stultitia facta est adulterae genti [12]).
Rex aeternitatis per crucem *diros* [13]) adumbrat,

---

1) Ita emendavi cum Davisio. Edd. praebent Cavete, quod aptum hic sensum praebere non potest. 2) Legem primordialem dixit Tertull. adv. Iud. cap. 2. 3) h. e. Lex secunda, Novum Testamentum. 4) Edd. habent illi, quod sensu aperte flagitante mutavi in ille. 5) h. e. quod erat, quod fuit ante Lex prima. 6) Rigalt. fata interpretatur oracula idolorum, idololatrarum praestigias. cf. Serv. ad Aen. V, 703. Davis. contra negat Commodianum hic agere de responsis deorum et emendat: daemonum fana vitate. Probo eam Davisii coniecturam, sed nolui sine Codicum auctoritate mutare quod aliquatenus possit defendi. 7) h. e. Sancta, ut Xantones pro Santones; cf. Vinet. ad Auson. Epist. XI. 8) h. e. Hymnum. 9) h. e. Diabolicam. Gloss. Vett.: „Zabolus, diabolus.“ Cf. infra II, 31, 12. II, 17, 4. et II, 26, 1: Zacones. Cf. Intt. ad Lactant. de Mort. Persecut. cap. 16., inter quos Steph. Baluzius etiam hunc Commodiani versum ex Cod. St. Albini Andegav. affert. —

XXXVI. 10) Ita scribendum esse pro: Crucis Stultitia, ut Edd. habent, evincit acrostichidis ratio. 11) sc. dixi. 12) h. e. Christi passio adulterae genti stultitia facta est h. e. obstupefacta eius diritate per stultitiam suam non intelligit, quae sit vera crucis Christi Domini ratio. 13) Sic correxi cum Davisio. Edd. habent omnes: dirus, quod commodam interpreta-

Ut sibi nunc credant, o stulti morte viventes [1])!
Cain iuniorem occidit nequam repertus:
Inde *Enoch* suboles *Cainaea* [2]) nati feruntur;
Sic gens iniqua increvit mundo quae nunquam
Transmittit [3]) animos in Deum: credere crucem
Venit in horrorem, et dicunt se vivere recte.
Lex in ligno fuit prima, et inde secunda.
Terribilem legem primo, cum pace revenit [4]),
In praevaricationes vanas elati ruerunt:
Traiectum clavis Dominum cognoscere nolunt,
Iudicium cuius cum venerit, ibi dignoscent.
Abel [5]) genus autem credit modo Christo benigno

XXXVII. QUI IUDAEIDIANT [6]) FANATICI.

Quid? medius Iudaeus, medius vis esse profanus?
Unde non effugies iudicium Christi defunctus.

---

tionem haud admittit. 1) Haec verba duplicem interpretationem admittunt. Aut enim hoc vult dicere: Deus, rex aeternitatis, quum filium suum supplicio affici tanquam maleficum sit passus, crucis eius voluit salutifera umbra peccatores et maleficos homines contegere, ita ut ex hoc ipso supplicii genere colligi possent, omnes vel pessimos homines pari se amore complecti et salute aeterna affecturum, modo iam sibi crederent; aut hoc: Christus quum se cruce affici sit passus, hoc genere supplicii vel ad diros et maleficos descendere iisque pro tempore se parem haberi voluit, hoc quidem consilio, ut vel acerrimi peccatores intelligere possent, se eos salvos facturum, modo crederent sibi. Rigalt. explicat: „Cruce sua Christus sapientes saeculi pro stultis et fatuis habuit. Adumbravit eos diritate crucis, tam admiranda divinae maiestatis patrans facinora.“ Schurzfleisch. verbum adumbrat item explicat per: occaecat. Davis. pro Ut sibi nunc cj. Ut sibi non, quae emendatio mihi minime probatur. 2) Ita Edd. Apogr. Sirm. habuit: Inde Nohel suboles Cananaei. — De hoc Enoch v. Genes. cap. IV, 7. Ἔνωσον vocat Ioseph. Antiqu. Iud. I, 3. et ita sane nonnulla LXXviralis interpretationis exemplaria. (Dav.). 3) Transmittis ed. Schurzfl. vitiose. 4) Omnes editores post revenit punctum posuerunt. Davis. cj. cum pace revincit. 5) „Imo genus Sethi, quem ipse Adamus ait positum sibi a Deo fuisse semen aliud pro Abele, quem occiderat Cainus.“ (Rigalt.) —

XXXVII. 6) h. e. Iudaizant. Sic in antiquissimis Codd. Mss. Cypriani Concil. Carthag. legitur „Exorcidare“ pro „Exorcizare“, teste Rigaltio. — Ceterum iudaeidiare pro iudaidiare dicere Afris in usu fuisse et acrostichidis ratio apud Commodianum ipsa et locus Arnobii III, 12. evincit, ubi Cod. Reg. praebet Iudeicas, non Iudaicas, uti vett. edd. habent.

Ipse caecus *erras* [1]), et ad caecos intras, inepte;
Idcirco caecum caecus in fossam deducit.
Vadis ubi nescis, et inscius inde recedis.
Discentes ad doctos eant, doctique recedant,
At tu ad eos vadis, unde nihil discere possis:
Exis pro foribus, inde et ad idola vadis.
Interroga primum, quid sit in Lege praeceptum,
Dicant illi tibi, si iussum est deos adorare.
Ignorantur enim propter quod maxime possunt [2]):
At illi [3]) quoniam rei sunt, ex ipso delicto
Nihil de praeceptis Dei nisi mirabile narrant.
Tunc tamen in fossam secum vos caeci deducunt.
Funera [4]) sunt, nimium de illis nota referre,
Aut quia concludit agrum congestus aratri [5]).
Noluit Omnipotens illos intelligere Regem;
A scelere tanto refugit ipse cruentus [6]).
Tradidit sese nobis superaddita Lege,
Inde modo latitant nobiscum rege deserti.
Ceterum in illis si spem esse putatis,
In totum erratis, si Deum et fana colatis.

XXXVIII. IUDAEIS.

Improbi semper et dura cervice recalces [7]),
Vinci vos non vultis, sic exhaeredes eritis.
Dixit Esaias incrassato corde vos esse.
Aspicitis Legem, quam Moses allisit iratus;
Et idem Dominus dedit illi Legem secundam [8]),
In illa spem posuit: *quid* [9]) vos subsannati reicitis?
Sed ideo digni non eritis regno caelesti.

---

1) Ita emendavi cum Davisio. Edd. habent eras. 2) h. e. ignoratur propter quod isti profani dii maxime posse credantur. 3) h. e. Iudaei. 4) „Alludit ad vulgarem illud: *Δὶς κράμβη θάνατος*, de quo v. Intt. ad Iuvenal. Sat. VII, 154. 5) Acrostichidos modus non capit plura. (Rig.). 6) sc. Christus crucis martyrio cruentatus. Davis. cj. cruentos.

XXXVIII. 7) h. e. recalcitrantes, reluctantes. 8) Legem secundam dicit Testamentum novum, nova praecepta a Christo nobis tradita, non vero novas illas lapideas, quibus Decalogi leges inscriptae erant, tabulas, quas Moyses ab Domino accepit, quum ob suorum idololatriam periratus priores confregisset. 9) quod Edd. Davis. cj. quam. Ipse emendavi quid. — In seqq. voc. subsannati puto activo sensu sumendum a deponentiali forma

XXXIX. ITEM IUDAEIS.

Inspice Liam [1]) typum Synagogae fuisse,
Tam infirmis oculis, quam Iacob in signo [2]) recepit;
Et tamen servivit rursum pro minore *dilecta* [3]).
Mysterium vérum et typum Ecclesiae nostrae.
Intuite plane [4]) dictum Rebeccae de caelo [5]):
Unde similantes alienae Christo credatis.
Deinde Thamar partum geminorum adite,
Ad Cain intendite, primum terrae cultorem,
Et Abel pastorem, qui fuit immaculatus
In fratris exitio offertor [6]) mactatus a fratre.
Sic ergo percipite iuniores [7]) Christo probatos.

XL. ITERUM IPSIS.

Incredulus populus non est nisi vester, iniqui,
Tot locis et totiens reprobatus lege clamantum [8]).
Et sabbata vestra spernit et tricesimas Altus
Respuit omnino universas vestras de Lege,
Ut ne sacrificia faceretis illi praecepta [9]),
Mittere qui dixit lapidem in scandalo vestro,
Iniqua si qui non crediderint morte perisse [10]),
Perque alias leges salvari dilectos: inde
Suspensam in ligno vitam; nec illi creditis.
Ipse Deus vita est, pependit ipse pro nobis,
Sed vos indurato corde subsannatis eumdem.

---

subsannari, alias non usitata. Cf. infra I, 40, 11. et quae adnotavimus supra ad I, 30, 29. —

XXXIX. 1) His argumentis pugnant Iustinus, Tertullianus, Cyprianus et alii Patres Christiani adversus Iudaeos. Pro Liam Apogr. Sirm. habuit iam. 2) h. e. in foedere, sub matrimonii signo et symbolo. 3) Apogr. Sirm. praebuit delicto. 4) plene ed. Schurzfl. 5) Respicit Genes. cap. XXV, 23. Cf. Paul. Ep. ad Rom. cap. IX, 12. 6) h. e. oblator. 7) sc. filios.

XL. 8) h. e. scriptis vel verbis Prophetarum; cf. infra II, 14, 3. 9) Respicit ad Esaiae cap. I, 13. Tricesimae sunt neomeniae vel calendae. V. Intt. ad Horat. Sat. I, IX, 69. et inprimis Ios. Scalig. Canon. Isagog. III, p. 111. 223. 264. 10) h. e. perire. Rigalt. haec verba intelligit de Christo et putat humano seu potius ethnico more hic loqui Commodianum. Sed haec aliter esse accipienda demonstrant verba sequentia: Perque alias leges salvari dilectos. —

XLI. DE ANTICHRISTI TEMPORE.

Dixit Esaias [1]): Hic homo qui commovet orbem
Et reges totidem [2]), sub quo fiet terra deserta.
Audite, quoniam propheta de illo praedixit;
Nihil ego composite dixi, sed neglegendo [3]).
Tum scilicet mundus finitur, cum ille parebit,
In tres imperantes ipse diviserit orbem:
Cum fuerit autem *Nero de* [4]) inferno levatus,
Helias veniet prius signare dilectos.
Res quas Africae regio et Arctoa natio [5]), tota
In septem annis tremebit undique terra:
Sed medium tempus Helias, medium Nero tenebit [6]).
Tunc Babylon [7]) meretrix incinefacta [8]) favilla,
Inde ad Ierusalem perget, victorque Latinus [9])
Tunc dicet: Ego sum Christus, quem semper oratis,
Et quidem conlaudant illum primitivi decepti,
Multa signa facit quoniam eius pseudopropheta.
Praesertim ut credant illi loquetur imago [10]),
Omnipotens tribuit, ut talis evadat.

XLI. 1) Davis. putat respici Esaiae cap. XIV, 16. ut quae ibi de rege Babylonio dicantur, a Commodiano sint ad Antichristum deflexa. Lacrozius contra corrigi vult: Dixit Esdras: Hic homo sqq., et putat ea quae sequuntur a Commodiano desumpta ex apocryphis Esdrae IV, 12, 23. 2) Cf. supra ad I, 7, 13. 3) Davis. adnotat: „Si sana sit exemplaris lectio revera Commodianus haec neglegendo dixit; Antichristus enim non in tres imperantes orbem dividere, sed tres reges superare debuit. V. Danielem VII, 24. Irenaeum V, 25 et 26. Lactant. VII, 16. Forsan legendum: In tres imperantes ipse devicerit orbem, seu adversus tres imperatores pugnans orbem subiugarit." Aliter Lacrozius, qui emendat: Nihil ego composite (h. e. ficte) dixi, sed inde legendo (sc. apud Esdram; cf. supra I, 1, 6. „legendo de Lege".). 4) Herode habuit Apogr. Sirm., mendose. 5) Recte monuit Lacrozius Commodianum Afrum natione fuisse ex hoc maxime loco apparere. Is sane Afer, cui homines qui orbem Romanum colunt Arctoi appellantur. 6) h. e. tres annos cum dimidio regnabit. Irenaeus V, 25. cf. V, 28 et 30. Lactant. VII, 17. et de Mortib. Persecut. c. 2. ibique Gisb. Cuper. Sulpic. Sever. Hist. II, 28. 7) Cf. Rigalt. ad Auctor. Finium Regundor. p. 271. et 313. 8) h. e. in cineres redacta, incinerata. Verbum hoc deest ap. Forcellin. et ap. Ducangium. 9) V. Irenaeum V, 25 sqq. 10) Apocalyps. XIII, 15. Hoc etiam de Apollonii Tyanei imagine narratur. —

Recapitulantes scripturas ex eo Iudaei
Exclamant pariter ad Excelsum sese deceptos.

XLII. DE POPULO ABSCONSO SANCTO OMNIPOTENTIS CHRISTI DEI VIVI.

Desideratur [1]) absconsus ultimus sanctus,
Et quidem ignotus a nobis ubi moretur.
Per novem tribûm [2]) agens et dimidiam nobis
O — — — — — — — — — — — — —
Praecepitque per Legem vivere priscam:
Vivamus nunc omnes, novella traditio legis,
Lex ut ipsa docet *apertius indico* [3]) vobis.
Obrelictae duae tribuum et dimidia: quare
Ab istis [4]) dimidia tribuum? ut martyres essent,
Bellum cum inferret electis suis in orbem:
Seu certe sanctorum chorus prophetarum
Consurgeret ad plebem, qui frenum imponeret illis,
Obsceni quos equi trucidarunt calce remissa [5]),
Nec rueret temere ad pacem manus aliquando.
Semotae sunt istae tribuum, et mysteria Christi
Omnia per istas complentur saeculo toto.
Sunt autem de scelere duorum fratrum enatae,
Auspicio quorum facinus secutae fuere.
Non immerito tales dispersi sunt ipsi cruenti;
Convenient iterum propter mysteria *Christi* [6]).
Tunc autem properant compleri Legis narrata.
Omnipotens descendit Christus ad suos electos,
Obscurati nobis qui fuerunt tempore tanto,
Millia tot facti; illa est gens vera caelestis.
Non natus ante patrem moritur ibi, neque dolores
In suis corporibus sentiunt aut *tubera naso* [7]).

XLII. 1) In seqq. quae de novem tribubus et dimidia disputat Commodianus manifeste sunt ex Esdrae apocryphis desumpta. 2) tribum Edd. tribuum cj. Davis. 3) Edd. aptius iudico vobis. Recepi Davisii emendationem. 4) Legendum puto: Abisti vel etiam Abistis dimidia sqq. 5) Rigalt. putat his verbis carpi Novati et Novatiani scelera, qui abstenti eiectique Ecclesia plebem adversus episcopos suos accenderant. Cyprian. Epist. 49. 6) Ita edd. ex emend. Rig. Nescio an recte. Apogr. Sirm. habuit: propter mysteria castus. 7) Ita edd. ex emend. Rigalt. Ozaenam significat vel potius polypum. Apogr.

Pausantes in lecto suo mature recedunt,
Omnia complentes Legis, ideoque tutantur.
Transire iubentur ad Dominum partibus dextris,
Exsiccat fluvium quibus sicut ante traiectis,
Nec minus et Dominus ipse procedit cum illis,
Transiit ad nostra, veniunt cum rege caelesti.
In quorum itinere quid dicam quod Deus educet [1])?
Subsidunt montes ante illos et fontes erumpunt,
Caelestem populum gaudet creatura videre:
Hi [2]) tamen festinant matrem defendere captam [3]).
Rex autem iniquus qui obtinet illam ut audit,
In partem boreae fugit et colligit omnes.
Sed cum se inlidet exercitu Dei tyrannus,
Terrore caelesti prosternuntur *milites illi* [4]),
Ipse cum infando comprehenditur pseudopropheta [5]).
Decreto Domini traduntur vivi gehennae,
Ex eo primores et duces servire iubentur.
Intrabunt tunc sancti ad antiquae ubera matris.
Ut autem et illi refrigerent, quos male ille suasit,
In variis poenis cruciabit sibi credentes.
Ventum est ad finem, quo tolluntur scandala mundo,
Incipit Dominus iudicium dare per ignem.

Sirm. habuit: aut ubera nato. 1) h. e. perficiet, exsequetur. 2) Sic correxi pro Hic, quod praebent edd. omnes. 3) Hierosolymam significat; cf. I, 41, 13. 4) Sic emendo cum Davisio. illi sc. Antichristi. V. Lactant. Div. Instit. VII, 17 et 19 sqq. Apogr. Sirm.: milites Eli, edd. ex emend. Rigalt. milite coeli (ex Apocalyps. XIX, 19.), soloece. 5) Apocalyps. XIX, 20.

COMMODIANI

INSTRUCTIONUM

PER LITTERAS VERSUUM PRIMAS

LIBRI DUO.

LIBER SECUNDUS [1].

I. DE SAECULI ISTIUS FINE.

Dat tuba caelo signum sublato leone [2])
Et fiunt subito tenebrae cum caeli fragore;
Summittit oculos Dominus, ut terra tremiscat,
Adclamat ut et audiant omnes in orbem:
Ecce diu tacui sufferens tanto tempore vestra!
Conclamant pariter plangentes sero gementes,
Ululatur, ploratur, nec spatium datur iniquis:
Lactanti quid faciet mater! cum ipsa crematur.
In flamma ignis [3]) Dominus iudicabit iniquos:
Iustos autem non tanget ignis, sed immo delinget.
Sub uno morantur, sed pars in sententia *flebit* [4]).

I. 1) Hoc caput in Cod. St. Albini primum esse libri secundi colligitur ex verbis Steph. Baluzii ad Lactant. de Mortib. Persecut. cap. XVI, p. 36. ed. Bauldri. Reliqui editores omnes operis Commodianani in duos libros divisionis ignari capitum numerum et ordinem non interrumpunt. 2) Hunc forte Neronem opinabantur Christiani. Cf. Sulpic. Sever. Dial. II, 14. (Rigalt.) 3) Cf. Paul. Epist. ad Thessalon. II, 8. Apocalyps. XIX, 12. φλὸξ πυρός. 4) Sic correxi. Edd. habent flevit.

Tantus erit ardor, ut lapides ipsi liquescant,
In fulmina coeunt venti, furit ira caelestis,
Ut, quacumque fugit, impius *occupetur* [1]) ab igne;
Suppetium nullum erit, nec nautica puppis:
Flammat Amen gentes et Medi Parthique fervent
In annis mille, ut ferunt *operta Ioannis* [2]).
Nam inde post annos mille gehennae traduntur,
Et fabrica cuius erant cum *ipso* [3]) cremantur.

II. DE RESURRECTIONE PRIMA.

De caelo descendet civitas [4]) in anastasi prima [5]):
Est quod referamus de fabrica tanta caelesti.
Resurgemus illi qui fuimus illi devoti,
Et incorrupti *erimus* [6]) iam tunc sine *morte* [7]) viventes,
Sed nec dolor ullus nec gemitus erit in illa.
Venturi sunt illi quoque sub Antichristo qui vincunt
Robusta martyria, et ipsi toto tempore vivunt
Recipiuntque bona, quoniam mala passi fuere,
Et generant [8]) ipsi per annos mille nubentes.
Comparantur ibi tota vectigalia terrae,
Terra quia nimium fundit sine fine novata.
Inibi non pluvia, non frigus in aurea castra,
Obsidiae [9]) nullae, sicut nunc, neque rapinae.
Nec lucernae lumen desiderat civitas illa:
Ex creatore [10]) suo lucet, nec non ibi *patet* [11])
Per duodecim millia stadia lata, longa, sic alta:
Radicem in terra, sed caput cum caelo peraequat;
In urbe pro foribus autem Sol et Luna lucebit [12]).

---

1) Sic correxi cum Davisio. Edd. praebent occupatur vitiose. 2) Apogr. Sirm. habuit: ut ferunt corpora sanctis. Coniectura Rigaltii, quam et ego cum cett. edd. recepi, admodum incerta. Operta Ioannis interpretatur Rig. Apocalypsin Ioannis. Sine Codd. Mss. opera loco medicinam afferri posse non arbitror. 3) Edd. cum ipsa quod emendavi. —

II. 4) Cf. Tertull. adv. Marcion. III, 24. p. 178. 5) Apocalyps. XX, 5. 6) Ita emendavi ex coni. Davisii. Edd. habent erunt. 7) sine more Apogr. Sirmondi. 8) Cf. Lactant. VII, 24. 9) h. e. obsidiones, interprete Schurzfleischio. 10) Restitui lectionem Apogr. Sirm. Rigaltius praeter necessitatem correxit et edidit Ex auctore, quod cett. edd. quoque receperunt. 11) Ita emendavi. Apogr. Sirm. parat, edd. paret praebent. — De re v. Apocalyps. XXI, 16. 12) Apocalyps. XXI, 23 et 25. Cf.

Malus in angore septus[1]) propter iustos alendos.
Ab annis autem mille Deus omnia perdet.

III. DE DIE IUDICII.

De die iudicii propter incredulos addo:
Emissus iterum Dei *dominabitur* [2]) ignis,
Dat gemitum terra verum [3]), tunc in ultima fine
Iter agentes[4]) et tunc increduli cuncti,
Evitante [5]) tamen sanctorum castra suorum.
In una flamma convertitur tota natura,
Uritur ab imis terra montesque liquescunt,
De mare nil remanet, vincitur ab igne potente,
Interit hoc caelum et astra *vel ipsa* [6]) mutantur;
Componitur alia novitas caeli terraeque perennis.
Inde qui mereunt mittuntur in morte secunda [7]),
Interioribus autem habitaculis iusti locantur.

IV. CATECUMINIS [8]).

Credentes in Christo derelictis idolis omnes
Admoneo paucis propter salutaria vestra.
Temporibus primis per errorem si qua gerebas,
Erogatus enim Christo tu cuncta relinque,
Cumque Deum nosti, esto bonus tyro, probatus,
Virgineusque pudor tecum versetur in agno.
Mens bonis invigilet: cave ut non delinquas *ut* ante [9]);
In baptismo tibi *genitalia* sola *levantur* [10]).

XXII, 5. 1) Sic edd. cum ed. Rig., qui antea septies emendandum putaverat. De re cf. infra II, 38, 13 sqq.

III. 2) Ita reposui ex coni. Davisii. Edd. praebent donabitur sine sensu. 3) Legendum fortasse dirum. 4) Praefinitum in terra vivendi spatium peragentes. Vel legend. In terra agentes. (Rig.) 5) sc. igne; cf. supra II, 1, 10. 6) Ita reposui ex emend. Davisii pro et ista quod edd. habent. 7) Prima est corporis, secunda animae, quae est mors aeterna, ignis aeternus. (Rig.) —

IV. 8) Hoc vocabulum ita scriptum vulgo fuisse aevo Commodiani acrostichis indicat. 9) Edd. cave ut non delinquas inante, quod emendandum erat. Davis. cj. cave non delinquas ut inante. 10) Apogr. Sirm.: genitali sola tenantur, quod Rigalt. mutavit in: genitale solox lavatur. Solox scilicet genitale Rigaltio est sordes (!) genitalis peccati. Quae qui-

Nam si quis peccans catecumenus poena notatur,
In signis [1]) ille vivat, sed non sine damno.
Summa tibi: gravia peccata devita tu semper.

V. FIDELIBUS.

Fideles admoneo, fratres de odio tollant [2]):
Impia martyribus odia reputantur in ignem;
Destruitur [3]) martyr, cuius est confessio talis,
Expiari malum nec sanguine fuso docetur [4]).
Lex iniquo datur, ut possit sese fraenare [5]).
Inde debet carere dolis; similiter et tu.
Bis Deo peccas, qui lites fratri protendis [6]).
Unde non effugies peccatum *praescie* [7]) sectans.
Semel es lotus, numquid poteris denuo mergi?

VI. FIDELES CAVETE MALUM.

Falluntur volucres et silvarum bestiae silvis
Ipsis *incautae natura* [8]) quibus est tradita mentis,

---

dem interpretatio unde possit cum aliqua certe probabilitatis specie defendi supersedeo ariolari, et soloecismum inesse iam Davisius monuit, qui cj. genitali scelera (ortum scilicet ex compendio operarum scribentium scela) levantur. — Ad voc. genitalia ex praecedenti delinquas facili opera tacite repetitur voc. ,,delicta", ,,peccata" vel ,,vitia". Dicit igitur Commodianus, sola peccata genitalia levari baptismo, non ea quae post baptismum violata Christianae disciplinae fide committuntur. 1) h. e. licet in signis vel castris Christianis ille vivat, tamen etc. — Apogr. Sirm. videtur habuisse Insignis, quod tamen vocabulum idoneum sensum h. l. vix admittit. —

V. 2) h. e. ut fratres odio eximant neu odio persequantur. Aliter Davisius, qui emendationem: fratres ne odio tollant ab Rigaltio propositum vituperans ad h. l. et ad Minuc. Felic. Octav. cap. 7. p. 42. distinguit fratres, de odio t. et interpretatur, ,,ut odium tollant, seu non sint invidi", eadem nempe vi statuens hic positam esse de praepositionem, qua supra I, 1, 6. in verbis ,,legendo de Lege" fuerit. 3) Fortasse legendum Despuitur. 4) Respicit ad Epist. Pauli ad Corinth. I, 13, 3. 5) In animo habuit illud Pauli ad Timoth. Epist. I, 1, 9. — Cf. Ep. ad Galatas 5, 23. 6) h. e. intendis. 7) Ita restitui pro prisce sectans quod in Apogr. Sirm. extitit. Edd. cum Rigaltio dederunt prisca sectans, Lacrozius cj. pristina sectans prob. Schurzfl. —

VI. 8) Ita emendavi pro Ipsis incanta iactura qu. e. tr. m., quod edd. habent quodque defendit Rigaltius mirifice putans vocabula incanta et mentis per tmesim esse disrupta. Dicit Com-

Decipiuntque aurea, ut esca sequentes,
Et vitare malum nesciunt nec lege tenentur.
Lex homini data est et doctrina vitae legenda,
Ex qua recordatur, ut possit vivere caute
Suique locum [1]), mortis et deroget ea quae sunt.
Condemnat se ipsum graviter qui regi delinquit,
Aut ferro ligatus aut de suo gradu deiectus,
Vel vita privatus perdit quod frui deberet:
Exemplo moniti graviter peccare nolite,
Translati lavacro magis caritatem habete,
Et escam [2]) muscipuli, ubi mors est, *longe vitate* [3]).
Multa sunt martyria, quae fiunt sine sanguine fuso.
Alienum non cupere, velle martyrii habere [4]),
Linguam refraenare, humilem te reddere debes,
Vim ultro non facere nec factam reddere contra:
Mens [5]) patiens fueris, intellige te martyrem esse.

VII. PAENITENTIBUS [6]).

Paenitens es factus, noctibus diebusque precare,
Attamen a matre noli discedere longe,
Et tibi misericors poterit Altissimus esse.
Non fiet in vacuum *confessio* [7]) culpae; *proinde*

---

modianus: Falluntur ipsis silvis fallacibus (h. e. amitibus et fossis silvarum frondibus tectis) volucres et bestiae quibus incautae mentis natura tradita est, neque aliter homines qui aurea (h. e. speciosa, saeculi illecebras) sequuntur his ipsis decipiuntur, quam illic bestiae escam fallacem secutae. Pro Decipiuntque aurea Rigalt. et cett. edd. praebent: Decipiuntque quaestuosa. Apogr. Sirm. habuit: Decipiunt quae aurea. 1) sc. recordatur. Lex homini data facit, ut recordetur vivere caute, facit ut recordetur locum sui hoc est caelum, si caute et recte vivat, infernum, si prave. Eadem vero lex facit, ut deroget ea, quae sunt mortis, ut deprecetur a Deo mortem, quam peccando forte promeruit aeternam. (Rigalt.) 2) Ita Apogr. Sirm. Edd. habete. Escam muscipuli. 3) longae vitae Apogr. Sirm., quod emendavit Rigalt. 4) Ita Apogr. Sirm. et ed. Davis., martyrium habere edd. Rigalt. et Schurzfl. Velle martyrii habere est voluntatem martyrii habere. 5) Recepi emendationem Davisii. Edd. praebent Mons patiens, sine sensu. Ipse olim cj. Modo patiens. —

VII. 6) Ita scribendum esse, non Poenitentibus, ut habet ed. Schurzfl., vel ipsa acrostichidis ratio demonstrat. 7) Ita edd., confusio Apogr. Sirm. mendose. — In seqq. edidi proinde pro

In reatu tuo disce manifeste deflere.
Tu si vulnus habes, Altum [1]) medicumque require,
Et *tum* [2]) in poenis poteris tua damna lenire.
Namque fatebor enim [3]) unum me ex vobis adesse [4])
Terroremque *linquentem* [5]) sensisse ruinam.
Idcirco commoneo vulneratos cautius ire,
Barbam comamque foedare in pulvere terrae
Volutarique *saccis* [6]) et petere summo de Rege:
Subveniet tibi, ne pereas forte de plebe.

VIII. QUI APOSTATAVERUNT DEO.

Quando bellum autem geritur aut ingruit hostis,
Vincere qui poterit aut latere, magna tropaea [7]),
Infelix autem erit, qui fuerit captus ab illis.
Amittit patriam et regem qui digne pro veritate
Pugnare, pro patria qui noluit neque pro vita.
Obisse deberet *qui* [8]) ire sub barbaro rege
Servitiumque petat qui hostibus sine lege deferre.
Tu si *praedicando* moreris pro terra [9]), vicisti,
At si manus dederis, incolumis Lege peristi.
Transfluviat hostis, tu sub latebra conde,
Aut si intrare potest, si nec ne, ne cessa,
Undique te redde tutum, tuos quoque, vicisti [10])!
Et vigilanter age, ne quis incurrat in illa.

---

perinde quod in edd. extat. 1) Altum recepi ex Apogr. Sirm. Edd. praebent herbam ex emend. Rigaltii. 2) tamen edd. quod emendavi in tum. Facile enim ab librario poterat tamen legi pro tum, simillimis eorum vocabulorum quibus scribi solebant compendiariis ductibus. 3) h. e. utique, quo sensu eam particulam iam saepius habuimus. Cf. supra I, 12, 4. I, 26, 29. 4) h. e. vestrum, qui paenitentes estis facti, me quoque unum esse. 5) Edd. habent linquendum, quod emendavi. — In seqq. cum Davisio reposui Apogr. Sirm. lectionem sensisse pro sensi ipse quod in edd. reperitur omnibus. 6) satis Apogr. Sirm.

VIII. 7) sc. eriget. 8) Ita emendavi. Edd. deberet quam praeter Schurzfl., in qua vitiose deberat quam extat. 9) Reposui Apographi Sirm. lectionem duobus locis. Edd. praebent: praeliando m. pro Rege, ex emend. Rigalt. 10) Dissentit a Tertulliano Commodianus, consentit autem Cypriano. Suadet in persecutione fugam aut latebras. Immo in latebris et in fuga martyrium esse docet. Omnino vetat, ne quis incurrat, ne quis se offerat. Denique ait Christianum, qui se propalat hosti,

Res infamis erit, si quis se propalat hosti,
Vincere qui nescit, et occurrit tradere sese,
Nec sibi nec patriae laudem remisit ineptus;
Tunc vivere [1]) noluit, cum ipsa vita peribit.
Domini si quis inops aut profanus ab hoste [2]),
Eramen [3]) sonans facti vel ut [4]) aspides surdi
Orare satis debent [5]) aut se condere tales [6]).

IX. DE INFANTIBUS.

Duellum hostis subito venit inundans,
Et prius quam *fugerent* [7]), parvulos occupavit inertes.
Improperandum eis non est, licet capti videntur,
Nec quidem excuso: ob delicta forte parentum
Fuere promeriti, ideo Deus tradidit illos.
Attamen adultos hortor, in *arma* [8]) recurrant
Nascanturque quasi denuo suae matri de ventre [9]).
Terribilem legem fugiant semperque cruentam,
Impiam, indocilem, *ferinam vitam iubentem* [10]);
Bellum enim aliud cum fuerit forte gerendum,
Vincere qui poterit, aut certe iam scire cavere,
S [11]) — — — — — — — — — — — — — —

X. DESERTORES.

Desertores enim genere non uno dicuntur:
Est alius nequam, alius in parte recedit [12]),

---

esse sui ipsius traditorem. Si tamen incidat in hostem vel opprimatur a persequentibus, tunc pro nomine Christi esse constantissimum. Nam si vitam negando redimat, cum ipsa vita periturum. (Rig.) 1) sc. vitam aeternam. 2) sc. redditus est. 3) h. e. aeramen. V. Ep. I. Paul. ad Corinth. XIII, 1. 4) Reposui vel ut pro velut quod cett. edd. tenent. — Respicit Commodianus ad Psalm. LVIII, 4. 5) sc. ita ut paenitentiae facultatem ab episcopo impetrare mereantur. 6) sc. ita ut nuspiam posthac in Ecclesiae castris conspiciantur. —

IX. 7) fugeret Apogr. Sirm. et prior recensio ed. Rigalt. 8) Ita edd. Apogr. Sirm. habuit: in aula recurrant. 9) In Ecclesiae sinum denuo revertantur. Metaphoram sumsit Commodianus ex Ioannis Evangel. III, 3, 4. (Davis.) 10) Ita emendavi. Quod enim edd. praebent: ferina vita viventem ferendum videbatur non esse. 11) Versum qui excidit sic fere suppleo: „Si non fuerunt quid sit bellum experti.“ —

X. 12) Emendarunt quidam: in partes recedit. Recens.

Sed tamen utrique iudicia vera decernuntur.
Ecce militatur Christo, sicuti Caesari paretur.
Refugium Regis pete, si delictor fuisti;
Tu illum implora, prostratus illi fatere:
Omnia concedet, cuius sunt et omnia nostra.
Repositis castris [1]) ulterius cave delinquas.
Errare noli diu miles per spelaea ferarum.
Sit tibi peccare desistere gestum immensum [2]).

XI. MILITIBUS CHRISTI.

Militiae nomen cum dederis, freno teneris.
Incipe tunc ergo dimittere pristina gesta,
Luxurias vita, quoniam labor imminet armis;
Imperio Regis omni virtute parendum,
Tempora postrema si vis pertingere laeta.
Illa [3]) bonus miles semper expecta fruenda,
Blandire noli tibi, desidias omnino mitte;
Ut tuo proposito [4]) cottidie praesto sis, ante
Sollicitus esto, matutinus signa revise.
Cum videris bellum, *agoni* [5]) sume propinqua;
Haec gloria Regis, militem videre paratum.
Rex adest optato: propter spem [6]) *dimicaturo*
Ille parat dona, ille pro victoria laetus.

---

pr. ed. Rigalt. pro recedit habet recedat, sed correct. postea. 1) sc. Christianis. — Olim pro Repositis malui Repositus vel Repotitus. 2) h. e. Sit tibi res maximi momenti peccare desinere. —

XI. 3) Edd. habent Ille quod emendandum videbatur esse. 4) Sic Apogr. Sirm. Edd. praebent praeposito ex emend. Rigaltii. 5) Ita emendo et interpretor: Cum videris bellum, quaere et elige loca agoni i. e. pugnae propinqua. Edd. habent agonia sume propinqua, quod Rigalt. ita explicat: „Sume, praesume, intellige in proximo esse festum et solenne certamen ex quo patet in caelum iter. Agonalem diem et Agonalia festa certamina dixere Romani, quae prius Agonia dicebantur.“ 6) sc. vitae aeternae. — Rig. pro propter cj. praeter. Male, si quid iudico. Locum sanum dedi corrigendo dimicaturo, pro quo in edd. legitur dimicaturum, praeter Schurzfl., in qua vitiose extat dominicaturum. — Rig. in curis posterioribus mss. voluit emendare: Rex adest, optato propter spem (sc. vitae aeternae) dimicatum (h. e. dimicationem).

Suscipit et proprium [1]) satellem dedicat [2]) esse.
Tu tibi praeterea in Belian [3]) parcere noli,
Impiger esto magis, ut reddat [4]) famam pro morte.

XII. DE REFUGIS [5]).

Damnatorum animae merito se ipsae secernunt.
Ex hoc [6]) progeniti iterum ad sua recurrunt.
Radix *Cainaea* [7]) maledictum semen erumpit
Et in servili gente sub barbaro rege refugit,
Flamma quos aeterna torquebit die decreto.
Vult vagus errare sine disciplina profugus,
Grassari per fauces viarum lege solutus:
Isti ergo tales, quos nulla poena coegit,
Si *videre* [8]) nolunt, ab idolis respui debent.

XIII. DE LOLII SEMINE.

De semine lolii [9]), qui stant in Ecclesia mixti.
Expletis temporibus messis separatur a fructu
Lolium enatum, quod non miserat Dominus.

---

1) proprium hic explicant per perpetuum vel firmum, fortem. V. Serv. ad Virg. Ecl. VII, 31. et Non. Marcell. p. 361. ed. Merc. — In seqq. pro satellem, quod edd. exhibent, fortasse satellitem reponendum. 2) Rigalt. adnotat: In Apogr. Sirm. superlitum animadverti veteris scripturae vestigium deduat, quam hic minime convenire arbitramur. 3) Ita edd. Rigalt. adnotat Apogr. Sirm. praebere: praeterea in delictis p. n., addens: „quae scriptura ferri et explicari posset, nisi nos admoneret is, qui Apographum recensuit, veterem manum fuisse: in Belian;" in Belian vero est in certamine contra Belian. 4) Tantum absit, ut tibi perniciem inferat tentationibus suis, quin potius ab iis famam reporta. (Rig.) —

XII. 5) Rigalt. adnotat: „In Apographo legitur De Refugiis, et ante ultimum versum apparet lacuna, quasi refugia dixerit Commodianus pro refugis, ut servitia pro servis. Nos deesse quicquam non arbitramur, et instructioni titulum fecimus: De Refugis. Sic fuerit nota lacunae superflua." 6) sc. Belia, de quo in praecedenti Instr. mentionem fecerat. 7) Apogr. Radix Cananaea vitiose, ut supra I, 36, 6. 8) Apogr. Sirm. habuit Sydere, edd. Si vivere ex emend. Rig. Ego correxi Si videre, et in seqq., ubi edd. omnes respici habent, reposui ex Apogr. Sirm. respui. Dicit Commodianus: si videre veram legem et cognoscere nolunt, digni utique sunt, qui aliquando ab idolis suis et diis, quos nunc pro magnis et potentibus venerantur, sese desertos cognoscant. —

XIII. 9) sc. inter eos qui stant etc. — Lolii parabola legitur

Omne lolium agricola collectum separat illud.
Lex ager nobis est [1]), qui fecerit bonum in illa,
Ipsâ utique nobis praestat requiem veram
Ipse Dominator; nam lolium igne crematur.
Si ergo putatis, quoniam [2]) sub uno morantur,
Erratis: steriles [3]) Christianos vos esse designo.
Maledicta fuit arbor sine fructu ficulna [4])
In verbo Domini, et statim exaruit illa.
Non operas [5]) facitis, non donum gazo [6]) paratis:
Et sic promereri Dominum putatis inanes?

XIV. DISSIMULATORI [7]).

Dissimulas Legem tanto praeconio latam,
In tuba praesentem caelesti voce clamante [8]).
Si propheta tantum declamasset in *orbem* [9]),
Sufficeret utique Domini vox missa per illum.
In tot prophetarum volumina [10]) lex Domini proclamat,
Malitias nullus dimittit: ita aeque de corde
Vis bona videre [11]) et fraudibus vivere quaeris.
Lex ipsa cur ergo processit tanto labore?
Abuteris Domini mandata, et te filium inquis;
Tu si talis eris sine causa [12]), videris, inquam.
Omnipotens mites [13]) quaerit sibi filios esse,
Rectos, corde bono, devotos legi divinae,
Immites [14]) autem iam scitis ubi demersit.

---

apud Matthaeum XIII, 24. 1) Ab ipso Christo diversus abit Commodianus. Christus enim in huiusce parabolae explicatione dixit Ὁ δὲ ἀγρὸς ἐστιν ὁ κόσμος. Matth. XIII, 38. Sed nihil non sibi licere putaverunt veteres, allegoriis nimium dediti. (Davis.) 2) h. e. quod, qua significatione apud Commodianum haec particula saepius occurrit. 3) h. e. infrugiferos, spadones, bonorum operum steriles. 4) Evangel. Matth. XXI, 19. Marc. XI, 13. 5) h. e. bona opera. 6) h. e. thesauro sacro, gazae Ecclesiae. — XIV. 7) h. e. hypocritae, qui se Christianum simulat et Antichristiana sive saecularia et Satanica vivit. 8) Secutus sum Apogr. Sirm. auctoritatem. Edd. ex emend. Rig. praebent: In tot prophetarum c. v. clamantem. 9) Edd. nubem praebent, sine sensu; orbem est emendatio Davisii. 10) Cf. ad I, 7, 12. 11) h. e. cupis Dei benefactis et gratiis adfici. 12) h. e. videris, num ita temere et sine merito Dei filius evaseris. 13) Matth. V, 5. 14) Ep. Pauli ad Timoth. II, 3. —

XV. SAECULARIA IN TOTUM FUGIENDA.

Si quidam doctores, dum expectant munera vestra
Aut timent personas, laxant singula vobis,
Et ego non doleo, sed cogor dicere verum.
Cum caterva Mali pergis ad spectacula vana,
Ubi Satanas fragoribus *circo operatur* [1]).
Licere persuades tibi quodcumque placebit.
Altissimi proles cum filiis Zabuli mixta
Respicere num vis, queis renunciasti, priora?
In ipsis versaris iterum, quid proderit *Unctus* [2])?
Aut si pro languore [3]) datum quod stulte profanus
I — — — — — — — — — — — — —
Nolite diligere mundum neque ambitum eius [4]):
Tanta Dei vox est, et tibi proba videtur.
Observas mandatum hominis, et Dei devitas;
Tu fidis muneri, quo doctores ora procludunt,
Ut taceant neque dicant tibi iussa divina.
Me vera *dicente* [5]), sicut teneris, prospice Summum:
Filius cuius eras, illi te adsigna clientem.
Vivere si quaeris gentiliter homo fidelis [6]),
Gaudia te mundi removent a gratia Christi;
Indisciplinate quod leve licere praesumis,
Et choros, *histriones* [7]) et cantica musica quaeris,
Nec tali subolem [8]) garrire amentia curas.
Dum [9]) vita frunisci putas, improvidus erras.
Altissimus iubet, et iusta praecepta devitas.

XV. 1) Sic emendavit Rig. ex corrupta Apogr. Sirm. lectione: f r a g o r i b u s c o m p a r a t u s. 2) Ita reposui ex emend. Davisii; cf. infra II, 30, 15. Edd. praebent U n u s, quod insipide studet tueri Rigalt. Unctus est Christus. Cf. II, 30, 15. 3) Ad refocillandas aut recreandas animi languescentis vires ab iis mollissimis et facillimis doctoribus concessa tibi fuerint spectacula. (Rig.) 4) h. e. omne quod ambitur et continetur mundo. Respicere videtur verba Iohannis Evangelistae. Alias „ambitus mundi" bene posset etiam sumi dictum pro ambitione et vanitate mundi. 5) d i c e n t e pro vulg. d i c e n t e m reposui ex verissima Davisii coniectura. Dicit Commodianus: Meo monitu ductus Deo, sicut par est, temet addicas. 6) h. e. homo Christianus more et luxuria ethnicorum. 7) Apogr. Sirm.: E t c h o r o s h i s t o r i c o s, edd.: E t c a r o s h i s t r i o n e s ex emend. Rig. 8) Significat hoc vocabulo seipsum ex mente hominis voluptuosi a se admoniti garrulum et inepte loquacem. 9) Edd. omnes praebent: E u m v i t a f r. p u t a s?

XVI. CHRISTIANUM TALEM ESSE.

Cum Dominus dicat, in gemitu edere panem [1]):
Hîc *ecquid* [2]) nunc agis, qui cupis vivere laetus?
Rescindere quaeris sententiam summi Dei missam
In protoplastum: vis fraenum prodere Legis.
Si Deus omnipotens cum sudore vivere iussit,
Tu qui iocundaris, eris iam exterus [3]) illi.
Indignatum ait Dominum scriptura Iudaeis:
Ab esca refecti surrexerunt ludere fili [4]).
Nunc ergo cur illos prosequimur sponte prosectos [5])?
Unde perierunt illi, nos cavere debemus.
Maxima pars vestrum luxuriis dedita paret.
Transgrederis legem, cum te fucis inficis; in te
Apostolus clamat, immo Deus per illum:
Licentia vestra vos, inquit, in ipsa deperdunt [6]).
Esto ergo talis, qualem vult esse te Christus;
Mitis et in illo hilaris, nam saeculo tristis
Excurre, labora, suda, cum tristitia pugna.
Spes cum labore venit [7]), et victoriae palma donatur.
Si refrigerare [8]) cupis, admartyriza [9]),
Exspecta requiem *futuram in* transitu [10]) mortis.

---

impr. Sed ipsa acrostichidis ratio ut Dum restitueretur postulabat. —

XVI. 1) V. Genes. III, 19. 2) Hic ecquid ex conj. reposui. Edd. habent: Hic ut quid. 3) h. e. eris non in corde Dei vel non municeps aeternae Dei civitatis. 4) Exod. XXXII, 6. Cf. Ep. Paul. ad Corinth. I, 10, 7. 5) h. e. Iudaeos recutitos, curtos, λειποδέρμους, verpos. — Cave ne adverb. sponte cum prosectos struas. 6) Respicit fortasse ad Paul. Ep. ad Rom. 1, 24. — Ad verbum deperdunt, ni locus corruptus est, ex praegressis repetendum puto subiectum luxuriae. 7) h. e. spes labori convenit. Spes alit agricolam. 8) i. e. refrigerari, quod ipsum fortasse reponendum erat. Sed cf. supra II, 11, 7. et ad I, 32, 7. 9) h. e. martyribus te pro viribus tuis similem reddere stude, martyres imitare, qui in transitu mortis non in terra requiem sibi futuram exspectant. Rigalt. ita: „admartyriza i. e. adsiste martyri, procede ad martyras, qui in carcere, horum necessitates pro facultatibus tuis adiuva, constantiam monitis, hortatibus fove, accende." Cf. Commodian. Instr. II, 19, 4. Vet. Inscr. Romae, via Ostiensi: MANDROSA MARTYRUM OBSEQUIIS DEVOTA TRANSEGI FALSI SECULI VITAM. Gruter. Inscr. p. MLV. 10) Apogr. Sirm. futuror. transitu quod emendavit Rigalt. —

XVII. MATRONIS ECCLESIAE DEI VIVI.

Matronas vis esse, Christiana, ut saeculi domnas [1]):
Auro te circumdas aut serica veste, pudica,
Terrorem Legis ex auribus vento remittis,
Res vanas adfectas, cuncta de Zabuli pompa [2]),
Ornaris [3]) ad speculum cincinnos fronte reflexos,
Necnon et inducis malis medicamina falsa
In oculis puris stibium [4]) perverso decore,
Seu crines tingis, ut sint toto tempore nigri.
Est Deus inspector, penetrat qui singula corda:
Ceterum pudicis ista necessaria non sunt.
Casto atque pudico sensu pertundite pectus;
Lex Dei testatur tales [5]) abscedere *lege*.
Ex corde qui credit feminae marito probatae
Sufficiat esse non cultibus sed bona mente [6]).
Induere vestes quas optat frigus et aestus
Aut nimium solis, tantum ut pudica proberis,
Et in plebe Dei facultatis dona demonstra.
Das tibi momerium [7]). Clarissima quondam
Exanimata iacens precibus viduarum erecta [8])
In dando promeruit, non *comtibus* [9]), inde levari.
Vos matronae bonae vanitatis fugite decorem,
In feminas congruit cultura *lupanaris* [10]).
Vincite malignum, pudicae feminae Christi,
In dando divitias vestras ostendite totas.

XVII. 1) Schurzfl. cj. Matrona vis esse Christiana ut saeculi domna. 2) Ita legi in Cod. S. Albini Andegav. testis est Steph. Baluzius ad Lactant. de Mortib. Persecut. c. 16. p. 36. ed. Bauldri. 3) Ita edd. — Davis. cj. Ornas ad spec. Sed retinenda videtur vulgata; seqq. accusativi cincinnos reflexos graeco usu sunt adstructa. 4) Cf. Salmas. Exercitt. Plin. p. 1148. ed. Paris., et inprimis Böttigeri Sabinam passim. 5) sc. feminas. In seqq. ex conj. dedi lege pro vulg. leges. 6) Rigalt. recte interpretatur: Sufficiat feminam marito, qui credit ex corde, probatam esse non cultibus sed bona mente. 7) h. e. dedecus tibi affers. Momerium a graeco *μῶμαρ*. Hesych.: *Μῶμαρ, μέμψις, ὄνειδος, αἶσχος,* ad quam glossam v. Intt. 8) V. Act. Apostol. c. 9. 9) Apogr. Sirm. comitibus et superscr. cultibus. Edd. comtibus ex verissima emend. Rigaltii. 10) Ita correxi pro lupanas, quod Rigalt. finxit ex Apogr. Sirm. corrupta lectione lupans.

XVIII. ITEM IPSIS [1]).

Audi vocem, quae vis Christiana manere,
Beatus Paulus [2]) qualiter te ornari praecepit,
Caeliloquus item Esaias doctor et auctor;
Detestatur enim pravitatem mundi sequentes:
Exaltatae, inquit [3]), iacebunt filiae Sion.
Fas in Deo non est Christianam coli fidelem.
Gentili more quaeris procedere Dei sancta?
Has Dei praecones damnant in Lege clamantes
Iniustas esse feminas quae se taliter ornant.
Capillos inficitis, oculos fuligine relinitis,
Levatis comulas granulatim [4]) fronte depicta,
Malas medicatis quodam superducto rubore,
Necnon et inaures [5]) gravissimo pondere pendent,
Obruitis collum monilibus, gemmis et auro,
Palmas Deo dignas [6]) praesagio malo ligatis [7]).
Quid memorem vestes aut totam Zabuli pompam [8])?
Respuitis Legem cum vultis mundo placere,
Saltatis in domibus, pro psalmis cantatis amores.
Tu licet sis casta, non te purgas sinistra sequendo:
Vos ideo tales Christus cum gentibus aequat [9]).

XVIII. 1) Instructionis huius versus sunt abecedaria sive alphabetica serie compositi, quales iam supra I, 35. habuimus. 2) Respicit ad Paul. Ep. ad Tim. I, 2, 9. cf. Paul. Ep. ad Tit. 2, 3. 3) Horum verborum sensus legitur ap. Esaiam 3, 16. 4) Discriminatis per granos capillis. Granos intellige ipsa crinium flagella. Vet. Interpr. Bibl. Iudith c. 9. „discriminavit id est *granam* fecit.“ Concil. Goth. Braccatens. I, can. 29. „Item placuit, ut lectores in ecclesia in habitu seculari ornati non psallant, neque *granos* gentili ritu demtant.“ Isid. Origg. XVI, 23. „Videmus cirros Germanorum, *granos* et cynnabar Gothorum.“ Cf. Sirmond. et Savaron. ad Sidon. Apoll. Ep. I, 2. Aliter placet Furlanetto, qui Commodiani verba *Levatis comas granulatim* interpretatur: Tollitis comas ita ut sint veluti grana discriminatae. (?) 5) *in aures* discriminatim, ed. Schurzfl. mendose. 6) h. e. quas dignius debeatis ad Deum orantes expandere. 7) Etenim damnationis praesagium est; cuius est apud Matthaeum formula: „Ligatis manibus et pedibus eius mittite eum in tenebras exteriores.“ (Rig.) 8) Haec verba ita extare in Cod. S. Albini Andegav. testis est Steph. Baluzius ad Lactant. de Mort. Persecut. c. 16. p. 36. ed. Bauldri. 9) h. e. Christus vos tales eodem loco habebit cum ethnicis.

Ymnificato choro [1]) placitoque Christo [2]) placete,
Zelantes fervore Christo offerte odorem.

XIX. IN ECCLESIA OMNI POPULO DEI.

Iustus ego non sum, fratres, de cloaca [3]) levatus,
Nec me supertollo, sed doleo vestri, qui cerno
Ex tanto populo nullum in agone coronari.
Certe si non ipse pugnat, vel suggerat illis [4]).
Cladem obiurgatis: o venter effercite luxu!
Laborat frater adversante mundo sub armis,
Et fartus opibus nec pugnas nec pugnanti te sistis?
Stulte non intendis [5]) unum bellare pro multis?
In talem pendet Ecclesia tota [6]), si vincat.
Abstineri [7]) vides fratrem et pugnare cum hoste;
Optas tu in castris pacem, foras [8]) ille repugnat:
Misericors esto, ut sis ante omnia salvus.
Nec metuis Dominum praeconio tanto clamantem,
Inimicis etiam qui iubet alimenta praebere?
Prandia ab eo prospice, *lurco* [9]), qui semper
Omnibus omnino diebus cum paupere sumpsit [10]).
Pascere tu quaeris, stulte, qui te denuo pascat [11]).
Vis ille mihi paret, qui componi proponit [12])?
Laute cibatum distento ventre [13]) declamat
Oppressus inopia frater iuxta tabescens.

---

1) sc. Ecclesiae. 2) sc. cui Pater de caelo: Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui. (Rig.) —

XIX. 3) sc. idololatriae. 4) h. e. adiuvet martyres illos. 5) h. e. intelligis. 6) h. e. talem collaudat Ecclesia tota. 7) h. e. egere, egentem esse. 8) Male editores incidunt ante pacem. 9) Ita emendavi corruptissimum locum. Edd. praebent: prospice Tobia, qui semper. Apogr. Sirm: prospice lurna qui s. superscripto vocabulo Iobba, cuius rationem male capiens Rigalt. in textu Tobia reponere conatus erat. Immo illud Iobba, sub quo revera nomen Tobiae latere videtur, non Commodiani est, sed glossatoris alicuius, qui hoc nomen adscripsit ad explicandum, quis sit ad cuius prandia prospiciendum esse hic a Commodiano postuletur. 10) sc. prandia. 11) Evang. Lucae 14, 12. 12) Pro proponit fortasse praeponit reponendum. Verba sunt divitis moniti respondentis: Tu dicis me quaerere pascere solum qui me denuo pascat; sane, putasne tu me hoc exspectare posse de his pauperculis, qui sepulturam omnibus conviviis praeponunt? 13) h. e. lautis cibis repletum et distento ventre adstantem divitem.

De die Dominica quid dicis? si *se* non [1]) ante locavit,
Excita [2]) de turba pauperem, quem ad prandium ducas.
In talibus [3]) spes est vestra de Christo refecto [4]).

XX. MARTYRIUM VOLENTI.

Martyrium, fili, quoniam desideras, audi.
Abel qualis erat esto, aut qualis Isaac, ipse aut
Rectam qui *delegit* Stephanus sibi *viam* [5]) in iter.
Tu quidem quod optas, res est felicibus apta.
Vince prius Malum benefactis, recte vivendo:
Rex ille tuus cum viderit, esto securus.
Ipsius est tempus [6]) et nos in utrumque gerentes;
Ut si bellum abest, in pace martyres ibunt.
Multi quidem errant dicentes: Sanguine nostro
Vicimus Iniquum; quo manente vincere nolunt [7]).
Obsidiando perit et *adeo* [8]) sentit Iniquus;
Legitimus [9]) autem non sentit poenas adactas,
Eiulatuque *celando* pectus pugnis *pertundit* [10]).
Nunc si benefactis viceris, martyr in illo [11]):
Tu ergo qui quaeris martyrium tollere [12]) Verbo,
In pace te vesti bonis, et esto securus.

XXI. BELLUM COTTIDIANUM.

Belligerare quaeris, stulte: quasi bella quiescant!
Ex protoplasto [13]) die pugnatur *infinite* [14]) vobis.

---

1) Ita correxi. Edd. habent si non ante locavit. — Ceterum hic locus indicat, aevo Commodiani diebus Dominicis agapas in usu fuisse. 2) Apogr. Sirm. Excute habuit pro Excita. 3) Rigalt. in textu habet (ut et cett. edd.) talibus, sed in adn. praebet: „In tabulis: In Tabulis Novi Testamenti.“ 4) h. e. talibus agapis eadem vobis spes enascitur tanquam si ipsum Christum refeceritis. —

XX. 5) Edd. diligit Steph. sibi vitam. Recepi optimam Davisii emendationem. 6) Utriusque, persecutionis et pacis. 7) h. e. manente hoste non perstant in fide, non perseverant in pugna. 8) Edd. ideo, quod emendandum videbatur. 9) h. e. fidelis et fortis Christianus. 10) Edd. zelando p. p. pertunde, quod quum ferendum esse non videretur, ex coniectura restitui locum et sanavi sententiam. Ceterum respicit Commodianus procul dubio illud: „Eiulatum suum castigabit pugnis, et prae zelo et amore Domini zelabit mortem.“ 11) h. e. illa ratione, illa re martyr factus es. 12) h. e. subire. —

XXI. 13) h. e. ex primo die vestrae vitae. 14) Edd. pugna-

Libido praecipitat [1]): bellum est, pugna cum illo.
Luxuria suadet [2]): abutere, bellum vicisti.
Vino copioso parce, ne per *illud* [3]) aberres,
Maledicti retine linguam, unde Dominum adoras,
Compesce *nefarium* [4]), pacificum redde te cunctis,
Oppressos miseriis deprimere cave minores,
Tutorem adcommoda tantum [5]) et noli nocere,
Tramite vos recto ducite sincero *prae zelo* [6]).
In tuis divitiis comem te redde pusillis,
De labore tuo dona, nudum vesti, sic vinces.
Insidias nulli facias qui Deo deservis:
Aspice principium [7]) unde periit invidus hostis.
Non sum ego doctor, sed Lex docet ipsa clamando:
Verba geris [8]) tanta vane, qui sub uno momento
Martyrium quaeris otiosus [9]) tollere Christo.

XXII. DE ZELO CONCUPISCENTIAE.

Dum cupis, inde peris; dum ardes proximi zelo,
Extinguis te ipsum; quando te incendis ab intus [10]),
Zelaris alium, invide, de malo laborantem,
Et te parem concupis fieri pecuniae tantae.
Lex sic non aspicit [11]): dum illum incumbere quaeris [12]),
Omnia suspensus, vivis in ardore lucrorum,
Cumque reus tibi sis, ipsum te iudice damnas.
Oculorum acies nunquam satiatur avara.
Nunc ergo si redeas [13]) et cogites, vana cupido est.
C — — — — — — — — — — — — — — —

---

tur in fine vobis. Emendandum erat infinite vel sine fine. 1) h. e. incessit. 2) h. e. non utere, abstine. 3) Ita emendavi cum Davisio. Edd. habent per illum. 4) Ita correxi. Edd. praebent: Compesce furorem, Apogr. Sirm.: Compescere furiam. Rigalt. in secundis curis, quas edidit Schurzfl., cj. Compesce refuriam, quod quid significet ego non intellego. Ipse emendo: Compesce nefarium sc. te, vel: Compesce nefariam sc. linguam. 5) sc. te. 6) Ita praebent edd. ex emend. Rig. Apogr. Sirm. habuit sincero perseclo. 7) h. e. aspice, habes principium tui martyrii sqq. — In seqq. pro periit malim pereat. 8) non facta. 9) h. e. nequicquam. —

XXII. 10) h. e. interius. 11) h. e. legitima quaestus cupido sic non aspicit, ut tu. 12) h. e. dum incumbere in illum divitem studes tamquam in praedam. 13) sc. ad temetipsum.

Unde Deus clamat: Stulte hac nocte vocaris [1])!
Postquam hora [2]) ruit, cuius erunt ista talenta?
In suprema aedis iniusta lucra condendo [3]),
Suggeret cum *Dominus* unicuique *vitam diurnam* [4]),
Congestet alius: tu bene vivere quaere.
Et Dei cor conscius ages super omnia victor.
Nec enim dico ut te in trivio tinnites [5]),
Cum pro die tuo vigilas, sine fraude vivendo.
In esca perit avis aut haeret improvida visco.
Arbitrare tibi simpliciter valde cavendum.
Excedant alii finem, tu prospice semper.

XXIII. QUI DE MALO DONANT.

Quid te bonum fingis alieno vulnere, vecors?
Unde tu largiris, alter cottidie plorat.
Ista tu discredis [6]) Dominum videre de caelis?
Dona iniquorum non probat Altissimus, inquit.
Erumpes miseris [7]), dum fueris locum [8]) adeptus.
Munera dat alter, ut alterum reddat inanem,
Aut si fenerasti duplicem centesima nummum,
Largiri vis, ut te, quasi malum malo depurges.
Omnipotens tales operas omnino recusat.
Donasti de lacrimis: candidatus [9]) ille ingratis
Oppressus usuris deplorat factus egenus.
Nactus praeterea tempus [10]) captatoribus hostis
Ad praesens populus [11]): pretio tu sanctus [12]) iniquus

---

1) Luc. 12, 20. 2) Ita emendavi Apogr. Sirm. verba corrupta: Postea noma. Edd. habent: Post te mors ex emend. Rig. — Hora est hora mortis. 3) Perperam hic punctum posuere editores priores. 4) Ita restitui locum corruptissimum ex emend. Davisii. Edd. praebent: Domino unicuique vita diurna. V. Matth. 6, 31. Luc. 12, 29. 5) Matth. 6, 2. — Davis. deleri vult pronomen te post ut; ipse olim eius loco nominativum tu reponendum putavi, sed nunc retraho sententiam. Linguae latinae legibus vix adversatur dicere: tinnitare aliquem pro tinnitu aut tintinnabulis aliquem prosequi proclamando. —

XXIII. 6) Cf. supra I, 23, 10. 7) h. e. erumpes tamquam latro ex latebris in miseros. 8) h. e. occasionem; cf. infra v. 12. 9) h. e. petitor, rogator. 10) h. e. occasionem. In seqq. captatores appellat annonae flagellatores. 11) sc. sed in futurum habebis etiam Deum ipsum ultorem. 12) Davis. cj. pretio tu factus iniquus. —

Necnon et de lucro mercis vis te piare;
Te ipsum inludis, non alium, inique.

XXIV. DE PACE SUBDOLA.

Dispositum tempus [1]) venit nostris: pax est in orbe
Et ruina simul blandiente saeculo premit
Praecipitis populi, quem in schisma misistis [2]).
Aut facite [3]) legem civitatis, aut exite de illa.
Conspicitis stipulam cohaerentem in oculis nostris,
Et vestris in oculis non vultis cernere trabem [4]).
Subdola pax nobis venit, persecutio flagrat.
Vulnera non parent, et sic sine caede ruitis;
Bellum in absconso geritur, sub pace quod ipsa
De vobis vix unus caute se gessit.
O male muniti et in occisione praedicti [5])!
Laudatis pacem subdolam et vobis iniquam.
Alterius facti milites, non Christi, peristis.

XXV. LECTORIBUS.

Lectores moneo quosdam cognoscere tantum [6]),
Et dare materiam ceteris exemplo vivendi,
Certamen [7]) fugere lites totidemque [8]) vitare,
Terrorem premere, nec unquam esse superbos.
Obsequia iusta malorum [9]) quoque deferte;
Reddite vos Christo similes, filioli magistro;
Inter agrestina [10]) benefactis lilia sitis.
Beati facti estis cum feritis edicta [11]).
Vos flores [12]) in plebe, vos estis Christi lucernae,
Servate quod estis et memorare potestis.

XXIV. 1) h. e. tempus pacis subdolae a Deo sic ordinatum. 2) h. e. quem Ecclesiae exules fecistis. 3) h. e. parete legi et disciplinae Ecclesiae. — Alloquitur ipsos schismaticos. 4) Matth. 7, 3. Luc. 6, 41. 5) Ierem. 48, 15 et 50, 27. —

XXV. 6) Fortasse tandem reponendum. 7) h. e. iurgia, contentiones. 8) Cf. supra I, 7, 13. 9) iusta malis quoque cj. Davis., cui temere adstipulari non audeo; multa enim vix leviora sibi indulgere Commodianum meminimus. 10) Haud dubie agrestia corrigendum erit. — V. Matth. 6, 19. 11) sc. persecutorum, quae ad martyrii coronam ducunt. — Ceterum monendum est Rigaltianam in textu quidem habere feritis, sed in adnot. feretis. 12) Ecclesiastici 39, 19.: „Florete flores quasi lilium.“ —

XXVI. MINISTRIS.

Mysterium Christi, Zacones [1]), exercite caste,
Idcirco ministri [2]) facite praecepta magistri.
Nolite ludere personam iudicis aequi,
Integrate locum [3]) vestrum per omnia docti,
Susum intendentes, semper Deo summo devoti.
Tuta Deo reddite sacra ministeria arae,
Rebus in *adversis* [4]) exemplum dare parati.
Inclinate caput vestrum pastoribus ipsi:
Sic fiet ut Christo possitis esse parati.

XXVII. PASTORIBUS DEI.

Pastor si confessus fuerit [5]), geminavit agonem.
Apostolus [6]) autem tales iubet esse magistros:
Sit patiens rector, sciat ubi fraena remittet,
Terreat in primis, et postea melle perungat,
Observetque prius ut faciat ipse quae dicit.
Redditur in culpa pastor saecularia servans,
In faciem cuius sis ausus dicere quicquam.
Bullit in inferno rumoribus ipsa gehenna:
Vae miserae plebi, dubia quae fronte vacillat!
Si talis aderit pastor, pene perdita stat,
Devotus autem continet recte gubernans.
Exhilarantur examina regibus aptis.
In talibus spes est et vivit Ecclesia tota.

XXVIII. MAIORIBUS [7]) NATIS DICO.

Me solum exposcit tempus vobis dicere verum.
Ab uno saepe monetur quod multi detrectant.
In me solum volo odia convertere vestra,

XXVI. 1) i. e. diacones, breviata dictione Graeca διακονοῦντες. 2) Cf. Intt. ad Lactant. de Mortib. Persecutor. cap. 15. 3) h. e. servate integrum. 4) Ita correxi cum Davisio pro Rebus in diversis quod in edd. extat. —

XXVII. 5) Si de nomine interrogatus clare et constanter responderit: Sum Christianus; si thus acerrae profanorum imponere iussus fortiter abnuendo clamaverit: Non facio. (Rig.) 6) V. Ep. Paul. ad Timoth. I, 3, 2. et ad Tit. 1, 7. —

XXVIII. 7) Maiores dicit primores, patronos, locupletes et splendido loco natos.

Omnium ut paveant praecordia tentatorem.
Respicite dictum, quod veritas odia tollat [1]).
Iam praedixi quidem de pace subdola quanta!
Blandiens dum vobis subrepsit, eheu, seductor,
Vos quia nescistis laqueos instare, ruistis.
Sorbetis omnino amara, sed est saeculi ipsum.
Non gratis agit [2]) pro quo interceditis ullus;
Ab igne qui refugit, agit in voragine, vestro.
Tunc petit suppetium miser denudatus a vobis:
Ipsi iam horrescunt iudices peculantia [3]) vestra.
S — — — — — — — — — — — — —
De breviori titulo non tot inararem [4]).
Inspicitis docentes, quibus vos tenditis ultro;
Cum ipsis et epulas capitis et pascitis ipsos.
Ob ea iam terrae paene fundamenta [5]) intratis.

XXIX. INFIRMUM SIC VISITA.

Infirmus si fuerit frater, de paupere dico,
Nolite vacui talem visitare iacentem.
Fac sub Deo bonum, obsequia redde per nummum.
Inde revalescit, vel si conciderit ille.
Refoveatur homo pauper, qui non habet unde
Mercedem tibi, pro illo sed conditor orbis et auctor.
Vel si pigeret ire ad pauperem semper abosum [6]),
Mitte nummos et unde se resumere [7]) possit.
Similiterque soror si paupera lecto decumbit,
Incipiant vestrae matronae victualia ferre.
Clamat ipse Deus: frange tuum panem egeno
Verbis opus non est visitare sed benefactis.
Iniquum est, frater inopia victus aegrotet.
Satagite non verbis; esum potumque requirit:
Inspicite tales sed certe debilitatos,
Transigere [8]) sese qui non possunt; date subinde.
A Domino vobis spondeo dari quadruplum.

---

1) h. e. pariat; cf. supra II, 5, 1. 2) h. e. magno emit vestrum patrocinium. 3) Sic scriptum in Apogr. Sirm. et in edd. Peculantia est peculatus. 4) h. e. scriberem. Cf. supra I, 37, 16. Sed forsitan enarrarem corrigendum. 5) h. e. inferos, gehennam. —

XXIX. 6) h. e. exosum, odiosum. 7) h. e. vires suos recuperare. V. Gloss. Ducangii. 8) h. e. sustentare.

XXX. PAUPERIBUS SANIS[1]).

Pauperies sana[2]) quid, nisi divitiae adsint?
Ars certe si fuerit, iam et tu communica fratri.
Unum praesta tibi, ne superbus esse dicaris.
Polliceor, quoniam securior divite vivis.
Excipe doctrinam magni Salomonis in aures[3]).
Responsorem[4]) in alto odit Deus pauperem esse:
Idcirco te subde et honorem redde potenti.
Blandus enim sermo, proverbium nosti, deriget[5]),
Vincitur officio etsi fuerit ira vetusta.
Si lingua taceat, nil melius invenisti.
Sane si non fuerit ars unde vita regatur[6]),
Aut operam praebe aut cursum iussu potentis;
Non pudeat neque pigeat procurrere sanum.
In gazo[7]) praeterea de labore mittere debes,
Sicut singularis illa[8]), quam praetulit Unctus[9]).

XXXI. FILIOS NON LUGENDOS.

Filiorum casus licet et dolium cordis[10]) relinquat,
In nigris[11]) exire, tamen nec plangere fas est.
Lex prudenter ait: animo, nec pompa dolete,

XXX. 1) Instructione praecedenti dixit de infirmis et iacentibus, iam de valentibus et sanis, sed egenis, qui tamen artis suae quaestu parare sibi possunt unde se exhibeant. Et hos quidem aliquid de subsidio artis suae conferre vult fratribus infirmis. (Rigalt.) 2) Ecclesiast. 30, 14. 3) Cf. Proverb. Salom. 3, 27 et 28. 4) Rigalt. cit. Proverb. Salom. 18, 23. voc. responsorem interpretatur „qui sic respondit quasi despiciat". Mihi videtur responsor dici excusator; cf. Proverb. Salom. 3, 28. 5) h. e. rigorem lenit. Rigalt. adnotat: Blandus sermo saepe apud iratos plurimum valet et gratia sua facit, ut subsidant iracundo cristae, ut fervor detumeat; confutat animum iracundi fervidum. Sic Lucilius dixit: „Coquus ahenum cum fervit, paula confutat trua." 6) Forsitan legendum degatur. 7) Cf. supra II, 13, 12. 8) Evang. Luc. 21, 1 sqq. 9) Cf. supra II, 15, 9. —

XXXI. 10) h. e. cordis dolorem, quem Plautus uno verbo cordolium nominavit in Cistell. I, 1, 67 et in Poen. I, 2, 86. Cf. praeterea quae adnotavimus supra ad Commodiani Instr. I, 29, fin. et ad I, 26, 19. — Particula et ante dolium fortasse delenda est. 11) h. e. lugubri vestitu.

In Salomoniaco libro [1]), septimana finita [2]).
Oblita [3]) Dominum de resurrectione promissa
Si martyras feceris filios, sic voce deflebis?
Non pudet infraenem gentiliter plangere natos?
Os laceras, tundis pectus, vestimenta deducis,
Nec metuis Dominum, cuius optas regnum videre.
Luge quod fas est, noli tamen errare pro illis.
Vos ideo tales, quod [4]) minus quam gentes estis?
Germine zabolico facitis ut turbae pronatae [5]):
Extinctos clamatis, qua gratia [6]), false, peristi.
Nec dolore duxit pater filium mactandum ad aram.
Dolore nec vates [7]) filium luxit defunctum:
Omnipotentis enim nec flens deducebat alumnum,
Sed Deo devotus festinanter funus agebat.

XXXII. DE POMPA FUNERIS.

De funeris pompa sollicitus esse qui quaeris,
Erras [8]) Dei servus, adhuc in morte placere,
Pro! exanimum corpus ornari funestum.
O vanitas vera, cupere defunctis honorem!
Mens mundo detenta, nec in morte Christo devota.
Proverbia nosti: per forum efferri volebat.
Adeo [9]) illi similes et fera mente viventes
Faustum felicemque diem in exitu vultis habere,
Ut coëat populus, laudem cum luctu videre.
Non provides quonam merearis ire defunctus.
Ecce prosequuntur illi, tu iam forte cremaris [10])
Redactus in poenam: quid proderit pompa defuncto?

---

1) Dicit Salomoniacum librum Sapientiae Sirach, filii Iesu, quia gnomas sive sententias continet ad exemplum Salomonis. 2) Ecclesiastici c. 22, 13. Cf. Genes. 50, 10. 3) sc. tu mater. 4) quid cj. Davis., quod non opus est. 5) turbe pronate Cod. S. Albini Andegav. teste Baluzio. 6) h. e. qua de causa. 7) Haec Abrahami et Davidis exempla ad communem hunc de filiis non lugendis locum citavit Ennodius Episc. Ticinensis. Epp. II, 1., ubi Sirmondus hosce Commodiani versiculos et ipsius quidem Commodiani nomen ab aevo Gennadii et Gelasii ignoratum primus indicavit.

XXXII. 8) Malim Error. 9) Particula Adeo pertinet ad seqq. in exitu. 10) sc. in ignibus gehennae.

Incusatus eris qui ob ista collegia [1]) quaeris.
Sub *nitore* [2]) cupis vivere: te decipis ipsum.

XXXIII. CLERICIS.

Congruit [3]) in Pascha, die felicissimo nostro,
Laetentur et illi qui postulant *sub acta* [4]) divina:
Erogetur eis quod sufficit, vinum et esca.
Respuis? *ne* forte *qua* memorentur [5]) ista pro vobis:
In modico [6]) sumptu deficitis Deo donare.
Cum ipsi non facitis, quo modo suadere potestis
Iustitiam Legis talibus? vel semel in anno.
Sic multos urget [7]) blasphemia saepe de vobis.

XXXIV. DE FABULOSIS [8]) ET SILENTIO.

Dum leve videtur [9]) cuicumque neque vitatur,
Et quasi facile ruit [10]), dum abuteris illud [11]),
Fabulae subveniunt quo venisti fundere preces
Aut pulsare domum stomachi [12]) pro delicto *diurno*.
Buccina praeconum clamat, lectore legente,

---

1) sc. corporis artificum libitinariorum. 2) sc. funeris Apogr. Sirm. habebat Sub vigore cupis, quod mutatum a Rigaltio in Sub Vejove (!) cupis in omnes edd. transiit. —

XXXIII. 3) Congruent ed. Schurzfl. vitiose. 4) Apogr. Sirm. sumpta et superscr. sabata. Rigalt. in prima recens. dedit sumpta, in altera sub acta, quod idem et cett. edd. receperunt. Verba sub acta divina interpretor: sub ea tempora, quibus divina Christi acta anniversarie celebrantur. Aliter Rigalt. cuius verba haec sunt: Commendatur pietas erga pauperes, illos praesertim, qui postulant et rogant opem ac beneficia fidelium sub id tempus, quo solvitur synaxis die Paschae, sub id tempus, quo pronunciari solet missa sive missio Paschalis, sub id tempus, quo dimittuntur fideles peractis solennibus, peractis mysteriis, peractis rebus divinis. 5) Ita emendavi. Apogr. Sirm.: Respues de forte quo memorentur, edd.: Respicite fonte quo memorentur ista pro vobis. In sqq. ex emend. Rig., qui in priore suae edit. recensione: Respicite quoniam memorentur sqq. ediderat. 6) Rig. in pr. recens. suae editionis: Immodico. — In seqq. reposui Deo ex auctoritate Apographi Sirm. Edd. omnes praebent Christo, ex correctione Rigaltii. 7) h. e. offendit. —

XXXIV. 8) h. e. congerronibus, confabulatoribus. 9) sc. confabulari. 10) h. e. quasi sponte et facilis profluit confabulatio. 11) sc. silentium. 12) h. e. pectus. — In seqq. pro diurno, quae

Ut pateant aures, et tu magis obstruis illas;
Luxaris labia [1]), quibus ingemiscere debes.
Obsera malis pectus vel in pectore solve.
Sed quia divitibus faciunt pecuniae frontem,
Inde perit omnis, quando sibi maxime fidunt.
Sic feminae quoque coeunt, quasi *initent* [2]) balneo,
Et, de domo Dei facitis ceu nundinas, *ardent* [3]).
Terruit [4]) sane Dominus domum orationis.
Sacerdos Domini cum: Sursum Corda [5]) praecepit,
In prece fienda ut fiant silentia vestra,
Limpide respondes nec temperas quoque promissis.
Exorat ille Altissimum pro plebe devota,
Ne pereat aliquis, et tu te in fabulas vertis,
Tu subrides ibi aut detrahis proximi famae,
Indisciplinate loqueris, quasi sit Deus absens,
Omnia qui fecit nec audeat neque cernat.

XXXV. EBRIOSIS.

Ebrioso modum non *pono:* sed belluâ *maior* [6]),
Bibendo superbis [7]), interior a mente recedis,
Regentis [8]) imperium tenens apud, stulte, Cyclopas;
Inde in historiis [9]). Dum mortuus, non bibo, dicis;
Optima [10]) mihi bibere et corda sapere.
Subministra magis, quid amplius quaeris abuti,
Infimo pauperclo, et eritis ambo refecti.
Si facias ista, extinguis tibi gehennam.

Rigaltii est emendatio, Apogr. Sirm. habuit divino. 1) V. de hoc vocabulo Paulum-Festum p. 120. ed. Müller. et Plaut. Pseudol. IV, 7, 6. — Perperam Rigaltius et Schurzfleischius „luxari labia" explicant per: labia profanare, violare luxu et nequitia. Immo labia luxatur qui intemperanter et nimium iis utitur. 2) Edd. initient, quod correxi. 3) sc. prae libidine et cupidine; ardent mea est emendatio pro vulg. artent. Rig. cj. Et de domo Dei ceu nundinas facitis artent. Davis. cj. Et, de domo Dei faciant ceu nundinas, artant. — Olim pro artent malui fervent, quod ne hodie quidem displicet. 4) V. Evang. Ioannis 2, 15. 5) Prisca formula poscentis attentionem et silentium.

XXXV. 6) Apogr. Sirm.: non puo sed bellua malor, edd. non pono, sed belluam malo. Bibendo. Recepi Rigaltii emendationem prius propositam. 7) Apogr. Sirm. supernis vel superius. 8) sc. Polyphemi. 9) In Odyssea. 10) Malim optimum. —

XXXVI. PASTORI[1]).

Pascere qui quaeris et quod potuisti parasti,
Assidue pascendo recte fecisti:
Sed tamen invise pauperem, qui te non repascat[2]),
Tunc erit mensa tua per unum Deum probata.
Omnipotens tales vel maxime pasci praecepit.
Respice cum pascis infirmos, et feneras Alto[3]).
In illo vos Dominus voluit probatos adesse.

XXXVII. ORANTI.

Orantem si cupias exaudiri de caelo,
Rumpe de latibulis[4]) nequitiae vincla,
Aut si benefactis ores miseratus egenis[5]),
Ne dubites quin quod petieris detur oranti.
Tu sane si nudus benefactis Deum adores,
In totum ne facias sic orationes inepte.

XXXVIII. NOMEN GAZAEI[6]).

Incolae caelorum futuri cum Deo Christo,
Tenente principium[7]), vidente cuncta de caelo,
Simplicitas, bonitas, habitet in corpore vestro.
Irasci nolite sine causa fratri devoto,
Recipietis enim quicquid feceritis ab illo.
Hoc placuit Christo, resurgere mortuos imo
Cum suis corporibus, et quos ignis[8]) ussit in aevo,
Sex millibus annis completis mundo finito.
Vertitur interea caelum tenore mutato:
Comburuntur enim impii tunc igne divino,

XXXVI. 1) h. e. ἑστιάτορι. 2) Cf. supra Instr. II, 19. 3) Proverb. Salom. 19, 17. „Qui pauperi miseretur, Deo fenerat,“ ut habet vet. interpres ap. Cypr. Testim. ad Quirin. III, 1. (Dav.) —

XXXVII. 4) h. e. de intimo recessu cordis, de penetralibus mentis tuae. 5) Paulin. Ep. 34. „Aliud est quando tu solus oras pro te, et aliud quando multitudo pro te apud Deum trepidat.“

XXXVIII. 6) i. e. Commodiani, Gaza oppido oriundi. 7) h. e. principatum. Davis. adnotat: „Vel principium pro dominatu nove posuit Commodianus, vel legendum Tenente principatum.“ Tot nove vocabula posuit Commodianus, ut corrigere quid velle hic prorsus temerarium sit. 8) h. e. ignis sup-

Irâ Dei summi ardet creatura gemendo.
Digniores stemmate et generati praeclaro
Nobilesque viri sub Antichristo devicto
Ex praecepto Dei rursum viventes [1]) in aevo,
Mille quidem annis ut serviant sanctis et Alto
Sub iugo servili, ut portent victualia collo,
Ut iterum autem iudicentur regno finito.
Nullificantes Deum completo millesimo anno
Ab igne peribunt, cum montibus ipsi loquendo [2]).
In bustis et tumulis omnis caro redditur acto [3]):
Demerguntur inferno, trahunt poenas in aevo.
Ostenduntur illis et legunt gesta de caelo:
Memoria prisca debito et merita digno,
Merces in perpetuo secundum facta tyranno.
Omnia non possum comprehendere parvo libello.
Curiositas docti inveniet nomen in isto [4]).

---

plicium, martyrii ignis. 1) sc. erunt. 2) Evang. Lucae 23, 30. Oseas 10, 8. 3) Redditur et restituitur una cum actis et operibus cuique suis, ut secundum ea, quae gessit quisque, ad coronam aut gehennam mittatur. (Rig.) 4) Ab hoc postremo poematis versu susum relegens per litteras versuum primas inveniet: COMMODIANUS MENDICUS CHRISTI. —

INDEX RERUM.

Siglum *F.* significat Minucii Felicis Octavium, siglum *M.* Firmicum Maternum, siglum *P.* Paulini Nolani adversus Paganos Poema, siglum *C.* Commodiani Instructiones.

A.

Abaris Scytha Palladium fecit ex Pelopis óssibus et postea Troianis vendidit M. 15.
Academicorum in summis quaestionibus tuta dubitatio F. 13.
Acca Larentia et Flora meretrices Romanis cultae F. 25.
Adonidis mors planctibus et luctibus culta in plurimis orientis civitatibus M. 9.
— simulacrum per Vulcanalia circumlatum et stercore iactatum P. 140.
Adulterae ad sacra adhibitae F. 24.
Adulteria deorum M. 12.
Aebutio deferente Bacchanaliorum scelera a Posthumio consule sublata M. 6.
Aegypti siccitatem temperat Nilus amnis F. 18.
Aegyptia sacra F. 21.
Aegyptii F. 25. cepas venerantur F. 28. strepitus ventris reverentur et contremescunt ibid. hominem sibi quem colant eligunt, de omnibus consulunt et ei victimas caedunt F. 29. Busiridi hospites immolant F. 30. aquam colunt M. 1.
Aegyptiis et Athenis cum sororibus legitima connubia F. 31.
Aegyptiorum deorum monstra F. 28.
Aer pro dea culta apud Assyrios sub nomine Virginis Veneris vel Iunonis M. 4.
Aesculapii apud Epidaurios cultus F. 6.
Aesculapius fulmine ictus F. 21. M. 12. bene barbatus pingitur F. 21.
Afri Saturno infantes immolabant F. 30.
Alexander M. Macedo quid de deorum gente et origine ad matrem scripserit F. 21.
Alexandriae numen Serapis M. 13.
Alimontia sacra M. 12.
Allia nomen infaustum F. 7.
Alope a Neptuno corrupta M. 12.
Ammudatis dei cultus C. I, 17.
Amphiaraus ab uxore proditus F. 26. eius oraculum ibid.
Amymone a Neptuno corrupta M. 12.
Anaxagorae philosopho descriptio et motus infinitae mentis deus dicitur F. 19.
Anaximenes et Apolloniates Diogenes philosophi aera deum statuunt infinitum et immensum F. 19.
Anchises Veneris maritus M. 12.

Angelos statuerunt Ostanes magus et Plato philosophus F. 26.
Anguis in Iovis Sebazii sacris M. 11.
Animalium de diis ethnicorum verum iudicium F. 24.
— cultus F. 28. sacrorum interfectores apud Aegyptios capite plectebantur ibid.
Animi immortalitas F. 34.
Antisthenes philosophus populares deos multos sed naturalem unum praecipuum statuit F. 19.
Antonius Iulianus scriptor citatur F. 33.
Anubes venator, unde caninum caput habeat M. 2. P. 116.
Anubis deus cynocephalus membrorum Osiridis repertor F. 21.
Apibus unus est rex F. 18.
Apis bos F. 28.
Apollinis etymon M. 17.
Apollo Delphicus F. 21. Pythius F. 26. sortilegus et citharoedus in insula Delo natus C. I, 11. Apollo et Marsyas M. 12. Apollo a Daphne lusus ibid. greges Admeti pascit ibid. Hyacinthum deperit ibid. levis pingitur F. 21.
Aquam colunt Aegyptii M. 1.
Aquilii constantia F. 37.
Arbor in Proserpinae sacris M. 27.
Arcanum quoddam in adyto Matris Phrygiae servatum et religiose adoratum P. 89.
Arcesilas Academicus F. 13. 38.
Arethusa ab Iove corrupta M. 12.
Aristo Stoicus incomprehensibilem esse deum dixit F. 19.
Aristoteles interim mentem, interim mundum Deum dixit, interim mundo Deum praeficit F. 19.
Arsinoe ab Iove stuprata M. 12.
Arvales Fratres F. 25.
Asini in sacris Isidis F. 28.
Assyrii F. 25. cum parte Afrorum aera colunt et ducatum habere volunt ceterorum elementorum M. 4.
Astarte dea apud Syros culta F. 6.
Atheniensibus cum sororibus legitima connubia F. 31.
Attidis imago in pinea arbore suspensa M. 27.
Attis pastor a Cybele adamatus P. 79. sprevit Cybelen et ideo exsecatur ab ea P. 83 sqq.
Aves cultae F. 28.
Auguriorum et auspiciorum vanitas F. 26.
Augurum collegium F. 25.

B.

Bacchae M. 6. C. I, 12.
Bacchus Nysius M. 7. C. I, 12.
Bellona dea F. 30. C. I, 16.
Bellonarii cruenti F. 30.
Beluae cultae F. 28.
Belus apud Chaldaeos colitur F. 6.
Bonae deae sacra F. 24.
Boum unus est dux F. 18.
Britannia sole deficitur sed circumfluentis maris tepore recreatur F. 18.
Busiridi Aegyptii hospites immolabant F. 30.

C.

Cabyrus a fratribus trucidatus M. 11. ei Thessalonici cruentis manibus olim supplicabant ibid.
Cacus ab Hercule victus C. I, 15.
Caelestis dea C. I, 16.
Caesar spretis auguriis in Africam navigia transmittit et tamen vicit F. 26.
Canis candelabro nexus in conviviis incestis Christianorum F. 9.
Capitolium Iovi et Iunoni sacrum P. 53 sqq.
Caput sedes irae M. 5.
Carneades Academicus F. 13. 38.
Carthaginis ara humano sanguine polluta M. 26.

Cassandra lusit Apollinem C. I, 11.
Cassius scriptor citatus F. 22.
Castores Spartae sepulti M. 12.
Castorum alterna mors F. 21.
Catamitus M. 12. P. 61 sqq.
Catilinariorum iusiurandum sanguine firmatum F. 30.
Cepa Aegyptiis sacra F. 28.
Cereris sacra M. 7. error F. 21.
Ceres apud Eleusinios culta F. 6. 21. Hennensis mulier M. 7.
Chaldaei Belum colunt F. 6.
Chione a Neptuno corrupta M. 12.
Christi mors M. 24.
Christiani latebrosa et lucifugax natio, in publicum muta, in angulis garrula, templa ut busta despiciunt, honores et purpuras pro nihilo habent F. 8. occultis se notis et insignibus noscunt F. 9. se promisce appellant fratres et sorores ibid. infanticidae putati ab ethnicis F. 9. 30. exsecrantur rogos et damnant ignium sepulturas F. 11. beatam et perpetem vitam sibi pollicentur ibid. sacerdotis genitalia adorare putabantur ab ethnicis F. 9.
Christianorum incesta convivia F. 11.
Christianos caput asininum colere et sacerdotis sui genitalia venerari putabant ethnici F. 9.
Chrysippi et Cleanthis Stoicorum de Deo opinio F. 19.
Chrysippus deorum pellex M. 12.
Cinyras Cyprius templum meretrici consecravit M. 10.
Claudii et Iunii in Poenos ferale proelium F. 6. 26.
Cleanthis Stoici de Deo opinio F. 19.
Cloacina dea a Tito Tatio instituta F. 25.
Cogitationis in corde sedes M. 5.
Connubia deorum et quorundam populorum incesta F. 31.
Consus deus F. 25.
Constantis imperatoris in Britannos expeditio M. 28.
Cor sedes cogitationum M. 5.
Corybantum sacra M. 11. cymbala F. 21.
Crassus cum infeliciter contra Parthos pugnaret, dirarum imprecationes et meruit et inrisit F. 7.
Cretenses festos dies instituunt in honorem Liberi a Titanis discerpti M. 6.
Criobolium M. 27.
Crocodili cultus F. 28.
Cronos et Chronos P. 100.
Crucis signum F. 29. M. 21.
Curtii equitis devotio F. 7.
Cybele pastoris amore capta P. 79.
Cybeles sacra Dindyma dicta F. 21. cf. M. 3. sacerdotes pelles i. e. tympana caedentes F. 24.
Cyclopes Iovi fulmina fecerunt C. I, 6.
Cyclopis pater Apollo C. I, 10.
Cynici canibus similes P. 34.
Cynocephalus deus Anubis F. 21. cf. M. 2.

D.

Daemones statuerunt et philosophi et magi F. 26 sq.
Daemonum malitia F. 26 sq. natura a Platone definita ibid.
Daphne lusit Apollinem M. 12. C. I, 11.
Deciorum devotio F. 7.
Dei Magni cultus C. I, 18.
Delubra atque arae lenociniorum et stuprorum loca F. 25.
Democritus quamquam atomorum primus inventor tamen naturam quae imagines fundat et intellegentiam saepe Deum loquitur F. 19.
Demosthenes Pythiam φιλιππίζειν querebatur F. 26.
Deorum origo humana F. 20. 21. incesta connubia F. 31. adulteria M. 12.
Deus Christianorum appellatur

unicus, solitarius, destitutus F. 10. in omnium mores, omnium actus, verba et occultas cogitationes diligenter inquirit ubique praesens ibid.
Deus quis sit variae philosophorum opiniones enumerantur F. 19.
Deus aereus vel argenteus de immundo vasculo conflatus F. 23.
Diabolus omnis divinationis inventor M. prooem. p. 57.
Diagoras Melius Atheos cognominatus deos esse negavit F. 7.
Diana apud Taurios culta F. 6. venatrix alte succincta pingitur F. 21. Ephesia multimamma ibid. Trivia trinis capitibus et multis manibus horrifica ibid.
Dianae deae fanaticus cultus C. I, 19.
Dii per quietem videntur F. 7. monstrosi F. 28. ethnicorum obsceni, furiosi, bellatores, impiae vitae C. I, 7.
Dindyma sacra F. 21.
Dindymarii furorum fingunt quo maiores stipites accipiant C. I, 16.
Diodorus citatur F. 22.
Diogenes Cynicus a Paulino Nolano Physicis falso adscriptus P. 42 sqq.
Diogenes Apolloniates et Anaximenes aera Deum statuunt infinitum et immensum F. 19.
Diogenes Babylonius quid de diis censuerit F. 19.
Diomedes deos vulnerat M. 12.
Dionysi vocabuli etymon. C. I, 12.
Dioscurorum statuae consecratae post victoriam de Perse Macedonum rege reportatam F. 7. 27.
Dis Pater M. 17.
Divinatio a Diabolo inventa M. prooem. p. 57.
Draco a Vestalibus quinquennibus epulis nutritus P. 142 sqq.
Dracones simulacris Solis additi M. 21.

E.

Egregori C. I, 3.
Elementa principia rerum in potestate sibi contraria M. 1.
Elementorum cultus M. 1 sqq.
Eleusin oppidum unde nomen acceperit M. 17.
Eleusinii Cererem colunt F. 6. 21.
Eleusiniorum mysteriorum origo F. 21.
Endymion a Luna adamatus M. 12.
Ennius poeta de Pyrrho rege oracula Apollinis Pythii confinxit F. 21.
Ephialtes et Otus fratres Martem in vinculis tenent M. 12.
Epicurus, qui deos otiosos finxit aut nullos, tamen naturam illis superposuit F. 19.
Epidaurii Aesculapium colunt F. 6.
Epona dea F. 28.
Equestres fratres i. e. Dioscuri F. 7.
Erigone virgo suspensa de laqueo F. 21. stella ibid.
Euhemeri de diis opinio F. 21.
Euphrates fluvius colit Mesopotamiam F. 18.
Exorcismus daemonum F. 27.

F.

Fana quaedam semel anno adire licebat, alia in totum visere nefas, alia viris alia feminis visere nefas F. 24.
Fatum F. 35.
Fauces mystarum perungi solebant a sacerdote in sacris quibusdam M. 22.
Febris Romanorum dea F. 25.
Filios exponere soliti veteres F. 30.
Flaminius auguria sprevit ante pugnam Cannensem F. 26.
Flora et Acca Larentia meretrices Romanis cultae F. 25.

Fronto, C. Cirtensis orator citatur F. 9. 31.
Furia dea C. I, 16.

G.

Galli Mercurium colunt F. 6. ei humanas victimas caedunt F. 30.
Galli Cybeles sacerdotes F. 21.
Gallus et Galla a Romanis immolati F. 30.
Ganymedis raptus F. 22. cf. M. 12.
Geryon occisus ab Hercule M. 12.
Gigantes Egregororum semine nati C. I, 3. I, 6.
Graecus et Graeca a Romanis immolati F. 30.

H.

Henna M. 7.
Hennenses sacra et templum instruunt Plutoni et Proserpinae M. 7.
Heraclides Ponticus Deum esse mentem divinam contendit F. 19.
Hercules Oeteis ignibus crematus F. 21. M. 12. Hylam deperit M. 12. occiso Geryone Iberas boves abegit M. 12. Cacum vincit C. I, 15.
Hiero tyrannus F. 13.
Hippothoe a Neptuno corrupta M. 12.
Hirundo Isidi sacra F. 21.
Homerus civitate eiectus a Platone F. 22. citatur M. 6.
Hospites Taurii Pontici immolare solebant et Aegyptii Busiridi F. 30.
Hostia Italiae civitas amoenissima F. 2.
Hyacinthus ab Apolline adamatus M. 12. ab Apolline per discum interfectus C. I, 11.
Hyginus in deperditis citatur P. 130.
Hylas ab Hercule adamatus M. 12.

I.

Ianuarius F. 15.
Ianus bifrons F. 21. rex Ianiculum exstruxit P. 69. prudens homo et ideo bifrons pictus P. 70. geminus P. 71. eius in honorem nummus primus excusus est P. 73.
Idaea Mater F. 25.
Iecur sedes libidinum M. 5.
Ignis cultus apud Magos et Persas M. 5. infernus F. 35.
Immortalitatem animi docuerunt iam Plato et Pythagoras F. 34.
Incendium mundi F. 31.
Incesta quorundam populorum connubia F. 31.
Incesta deorum matrimonia F. 31.
Incubationes Serapidis P. 125. cf. M. 13.
Indus flumen pro imbribus pensat orientem, serit et irrigat F. 13.
Infantes Afri Saturno immolabant F. 30.
Invictus Deus Mithras P. 112. petra natus C. I, 13. cf. M. 5 et 21.
Iosephus Iacobi filius post mortem Serapis appellatus ab Aegyptiis M. 13.
Iosephus, Flav. scriptor citatur F. 33.
Iovis tumulus apud Cretenses M. 7. Sebazii sacra M. 11. Iovis mater capta pastoris amore P. 79. Iovis transformationes in cygnum, taurum et satyrum, ut feminas falleret M. 12. cf. P. 59. Iovis genus Vulcano aetate inferior F. 21. sacra ibid. nutrix capella ibid. stella C. I, 7.
Irae sedes in capite M. 5.
Irrumatio F. 28.
Isiaca sacra P. 116 sqq. M. 2. F. 28.
Isiaci sacerdotes F. 21. mendicantes F. 24.
Isidis sistrum P. 116. F. 21. hirundo F. 21. luctus ibid.
Isis Pharia F. 21. Isis incestum cum fratre Osiride commisit. M. 2.
Iuba Maurorum deus F. 23.

Iudicia in Christianos iniusta F. 28.
Iudaeorum misera gentilitas victimis caerimoniisque Deum unum coluerunt F. 10.
Iulianus, Antonius scriptor cit. F. 33.
Iunii et Claudii infaustum contra Poenos praelium F. 7.
Iuno Argiva F. 25. Poena ibid. Samia ibid. bubulis oculis pingitur F. 21. instigat Titanas ut Liberum interficiant M. 6. a marito propter Catamiti amorem spreta M. 12.
Iunonis aut Veneris Virginis sub nomine Assyrii aerem colebant M. 4.
Iuppiter Dictaeus F. 21. Hammon cornutus ibid. Capitolinus fulmina gerit ibid. Creticus F. 25. Feretrius F. 21. Latiaris humano sanguine colitur F. 21. 30. M. 26. P. 108 sqq. Iuppiter modo barbatus modo inberbis pingitur F. 21. daemon appellatur F. 27. apud Magos et Persas in duas potestates divisus M. 5. Sarpedonem filium mortuum luget M. 12. sororem stuprat P. 57. Optimus in precationibus colentum appellatus P. 66. Ganymedis amator C. I, 6. cf. s. v. Catamitus et Ganymedes. in antro furtim nutritus C. I, 5. natus in Creta patre Saturno ibid. adultus patrem regno privavit nobiliumque sorores et uxores delusit ibid. Cretae rex I, 6. M. 6. sepultus in Creta C. I, 6. et F. 22. est caelum F. 19.

L.

Lapides uncti et coronati F. 3.
Latiaris Iovis cruenta ara v. s. v. Iuppiter.
Latium unde nomen acceperit F. 22. P. 105.
Liber deus, Iovis filius regis Cretici M. 6. eius fata et mors ibid. in India natus C. I, 12. Pater bis genitus ibid. Thebanus magicae artis potestate conspicuus M. 6. eius fata ibid. Liber et Sol idem numen est M. 7. Liber libidinis praemia promissa Prosumno post eius mortem exsolvit M. 12.
Libera Cereris filia a Plutone corrupta F. 21. cum Proserpina et Luna idem numen est M. 7.
Libidinis sedes iecur M. 5.
Lucina et Luna eadem M. 17.
Luctuosa Aegyptiorum et Phrygum sacra M. 3.
Ludi Iovis repetiti de somnio plebeii hominis F. 7.
Luna Endymionem amat M. 12. cum Lucina eadem M. 17. cum Luna et Libera Proserpina unum est numen M. 7. Luna et Sol. C. I, 8.
Lunae etymon M. 17.
Luperci cruda hieme nudi discurrunt F. 24.
Lusus puerorum testas iaculandi super fluctus F. 4.
Lycurgus regno et patria pellit Liberum M. 6.

M.

Magi sciunt daemonas et per eos miracula edunt F. 26.
Magi et Persae ignem colunt et ei principatum ceterorum elementorum attribuunt M. 5.
Mancinus F. 26.
Mars Thracius F. 25. a Diomede percutitur M. 12. ab Oto et Ephialte fratribus catenis et vinculis detentus ibid. Adonidem apri forma indutus trucidat M. 7.
Marsyas et Apollo M. 12.
Martis et Veneris adulterium F. 22.
Martyrum constantia in morte obeunda F. 37.
Mater Magna apud Phryges culta F. 6.

Mater Idaea F. 25. adventu suo probavit matronae castitatem et urbem metu hostili liberavit F. 7. 27.
Matris Deum sacra M. 27.
Mavortis etymon M. 17.
Mauri Iubam regem divino honore prosecuti sunt F. 23.
Medi F. 25.
Menalippe a Neptuno corrupta M. 12.
Mens humana libera est F. 35.
Mentis tripartita divisio M. 5.
Mercurius apud Gallos cultus F. 6. pedibus alatis pingitur F. 21. cum abolla et sacculo pingitur et pinnatus C. I, 9. ei humanas victimas caedebant Galli F. 30.
Mesopotamiam colit Euphrates fluvius F. 18.
Mimallones C. I, 12.
Minerva caesiis oculis pingitur F. 21. Liberi soror M. 6. cor Liberi a Titanibus discerpti servat ibid. eius etymon. M. 17.
Minervae quinque M. 15 et 16.
Mithrae et Mitrae cultus apud Persas M. 5. Mithrae sacra in speluncis tradita ibid. et P. 112.
Mithras Invictus Deus petra natus C. I, 13. P. 112. M. 20. boum abactor M. 5. C. I, 13. Sol, P. 113.
Mithriacorum symbolum M. 20.
Mitrae deae triformis vultus et imago monstrosis serpentibus aucta M. 5.
Modius Serapidis capiti superimpositus M. 13.
Monteses vel Montenses dii C. I, 21.
Monstra pro diis culta F. 28.
Mucius Scaevola F. 37.
Multivirae et univirae in quibusdam sacris adhibitae F. 24.
Mundi incendium F. 34.
Mundus dogmate Platonis insolubilis atque perpetuus, sed ipsi artifici deo mortalis et solubilis F. 34.
Mystarum fauces in quibusdam sacris a sacerdote ungi solebant M. 22.
Mysteria Matris Phrygiae P. 86 sqq.
Mystica symbola M. 18. 19. 20. 21. 22. 26.

N.

Navia et capita P. 76.
Natalis F. 16.
Nemesis dea C. I, 16.
Nemesiaci C. I, 19.
Neocori M. 13.
Nephthys Isidis soror M. 2.
Nepos citatur F. 22.
Neptunus glaucis oculis pingitur F. 21. unde dictus sit M. 17. mercede conductus Troiae muros exstruit M. 12. C. I, 10. Cyclopis pater C. I, 10. cumatilis deus tridentem gerit, ut pisces suffigere possit ibid.
Nilus amnis temperat Aegypti siccitatem F. 18.
Nisa M. 7.
Nummus primus excusus in honorem Iani insculpto navigio P. 73 sqq.
Nysius Bacchus M. 7.

O.

Omophagia M. 6.
Oriens Indo flumine irrigatus et satus F. 18.
Osiris incestum commisit cum sorore sed alioquin fuit rex iustus M. 2. eum frugum semina esse physice quidam explicant ibid.
Osiridis membra lancinata et per Nili ripas proiecta M. 2. sepulcrum et cremati corporis reliquiae adhuc in Aegypto visuntur ibid. mortem esse autumnum, eius inventionem ver esse physice quidam explicant ibid. simulacrum Osiridis in trunco arboris sepeliri solitum in sacris Aegyptiorum M. 27.

Ostia amoenissima civitas F. 2.
Ostanes magus angelos i. e. ministros et nuntios deo adsistere docuit F. 26. statuit daemones, terrenos, vagos, humanitatis inimicos ibid.
Otus et Ephialtes fratres Martem in vinculis tenent M. 12.

P.

Palladium ex Pelopis ossibus factum M. 15. ab Abaride Scytha Troianis venditur ibid. est Minervae ibid.
Pallor et Pavor dii a Tullo Hostilio primum instituti F. 25.
Pan deus ungulatis pedibus pictus F. 21.
Pandarus M. 7.
Parricidium cultum in sacris Corybantum M. 11.
Paulus apud Cannas F. 26.
Pavor et Pallor dii primum a Tullio Hostilio instituti F. 25.
Pelops dei pellex M. 12.
Penates dii quinam M. 14.
Pergus lacus M. 7.
Persae de equorum hinnitu augurant principatum F. 18. Persae et Magi omnes qui circa Persicae regionis fines incolunt ignem pro deo venerantur M. 5.
Persica vota collapsa M. 29.
Persis cum matribus coire fas est F. 31.
Persaei de deorum origine opinio F. 21.
Phryges Matrem Deum colunt F. 6. qui Pessinuntem colunt circa ripas Galli fluminis terram colunt eique ceterorum elementorum principatum tribuunt M. 3.
Phrygia sacra M. 27.
Physici philosophi P. 40.
Picumnus et Pilumnus dii F 25.
Picus deus F. 25.
Pilumnus et Picumnus dii F. 25.
Pinus in sacris Matris Deum M. 27.
Piscium cultus F. 28.
Plato invenire Deum negotium credidit F. 26. statuit angelos et daemonas ibid. eius Symposion citatur ibid. solubilem mundum et mortalem soli Deo artifici dicit F. 34. cum Pythagora docuit animi immortalitatem ibid. cur civitate eiecerit Homerum F. 22.
Platonis Deus F. 19. de deo oratio tota fere caelestis nisi persuasionis civilis nonnumquam admixtione sordesceret ibid. dogma incertum P. 35. liber de Anima sive potius de animae immortalitate nihil certi intus continet praeter titulum P. 38.
Plautinae prosapiae homo F. 14.
Pluto, Proserpinae raptor, nomen a divitiis sortitus erat M. 7.
Pompeium et Caesarem duos una fortuna non cepit F. 18.
Pontifices F. 25.
Porphyrius philosophus citatur M. 13.
Posthumius consul Bacchanaliorum scelera sustulit M. 6.
Principes et reges per adulationem turpem pro diis culti F. 29.
Prodicus quid de diis censuerit deque origine eorum F. 21.
Proculus senator F. 23.
Proserpina Libera et Luna unum numen M. 7.
Proserpinae raptus describitur M. 7. eius etymon. M. 17. eius sacra M. 27.
Protagoras Abderites finibus expulsus ab Atheniensibus F. 8.
Protesilaus ab inferis redux F. 11.
Providentia mundum regit F. 19. 20.
Puerorum lusus teretes testas iaculandi super undas F. 3.
Pyracmon faber Iovi sceptra fecit C. I, 5.
Pyrrho philosophus F. 38.

Pyrrhus rex Pythium Apollinem adiit F. 26.
Pythagorae Deus est animus per universam naturam commeans et intentus, ex quo etiam animalium omnium vita F. 19.
Pythagoras et Plato immortalitatem animi docuerunt F. 34.

Q.

Quinquennes epulae draconi offerri solitae a Vestalibus virginibus P. 142 sqq.

R.

Rector unus in armentis F. 18.
Reguli constantia in morte obeunda F. 37. 26.
Reges et principes pro numinibus advocati per turpem adulationem F. 29.
Romani universorum deorum sacra receperunt F. 6. Graecum et Graecam, Gallum et Gallam immolare solebant F. 30.
Romani imperii incrementa flagitiis fundata F. 25.
Romulus et Remus F. 18.
Romulus deus F. 23. 25.

S.

Sacerdos Cybeles femineos coitus vitat sed viriles patitur P. 92.
Sacra Phrygia M. 27.
Sacrificia humana F. 30.
Salii F. 24. 25.
Sarpedon filius Iovis M. 12.
Saturnus deorum antiquissimus F. 22. daemon F. 27. compeditis pedibus pingitur F. 21. filios devorat M. 12. P. 95. docuit homines litteras inprimere, nummos signare, instrumenta conficere F. 22. ex Creta fugiens a Spartanis absconditur M. 12. stella C. I, 7. Saturni fata F. 22. M. 12. P. 95. C. I, 4.
Saturno ab Afris infantes immolabantur F. 30.
Sebazius Iuppiter M. 11.
Semiviri Matris Phrygiae sacerdotes P. 87.
Septizonium C. I, 7.
Serapidis statua prope Ostiam F. 2. tumulus F. 21. eius cultus apud Alexandrinos unde exordium sumpserit M. 13. nominis etymon ibid.
Serapis et Osiris passim apud veteres pro uno numine habiti F. 21. P. 122 sqq. Serapis, Saturnus, Iuppiter daemones appellati F. 27. fit fera, canis, asellus, homo, panis P. 126. dilaceratus P. 122.
Serpentes culti F. 28. imagini Mitrae deae additi M. 5. Solis simulacro additi M. 21.
Signa militaria a Parthis repetita F. 7
Silenus Liberi paedagogus et post mortem eius sacerdos M. 6.
Silvani dei cultus C. I, 14.
Simonidis melici admiranda cunctatio F. 13. 38.
Simulacra deorum veteres solebant superstitiose osculis salutare F. 2.
Sistrum Isiacum F. 21. P. 116.
Socrates doctissimus hominum iudicatus oraculo Delphici Apollinis F. 13. scurra Atticus F. 38.
Socratis dictum: Quod supra nos nihil ad nos F. 13. eius daemonium F. 26.
Sol et Liber unus M. 7. unde nomen acceperit M. 17. et Luna dii C. I, 8.
Soli per Vulcanalia vestes suspendi solitae P. 138 sqq.
Spartani in Italia profugum Saturnum abscondunt M. 12.
Speusippus philosophus Deum dixit vim naturalem, animalem, qua omnia regantur F. 19.
Stercore iactabatur Adonidis simulacrum per Vulcanalia P. 140.

Sterope a Iove corrupta M. 12.
Stoicorum de Deo opiniones variae F.19.
Straton philosophus ipsam naturam Deum esse dixit F. 19.
Strepitum ventris contremescunt et reverentur Aegyptii F. 28.
Stygia palus F. 35.
Symbola mystica M. 18. 19. 20. 21. 22. 26.
Syracusani raptum Proserpinae consecrantes ei templum exstruxerunt M. 7.
Syri Astarten deam colunt F. 6.

T.

Tantali casus M. 12.
Tatius Romanorum rex Cloacinae deae cultum instituit F. 25.
Taurii Pontici hospites immolant F. 30. Dianam colunt F. 6.
Tauribolium M. 27.
Terentii comici locus citatus F. 21.
Terram colunt Phryges M. 3.
Testas iaculari et inrotare super undas puerorum erat lusus F. 3.
Thales Milesius omnium rerum initium aquam esse dixit F. 19. deum dixit eam mentem quae ex aqua cuncta formaverit ibid.
Thallus scriptor citatur F. 22.
Thebanorum par mortuum i. e. Eteocles et Polynices F. 18.
Theodorus Cyrenaeus esse deos negavit F. 7.
Theophrastus providentiam esse Deum dixit F. 19.
Thessalonicenses Cabyrum cruentis aris colebant M. 11.
Tiberinus deus F. 25.
Tiresias vates caecus F. 26.
Titanes Liberi Patris percussores M. 6. inde ab Iove omni genere suppliciorum interempti ibid. Tutani C. I, 20.
Titanum cultus tamquam deorum tutelarium C. I, 20.
Triptolemus Cereris villicus M. 7.
Tullus Hostilius Pavoris atque Palloris deorum cultum instituit F. 25.
Tutani C. I, 20.
Typhon uxoris incestum vindicat M. 2. rex fuit furiosus et impotens ibid.
Typhonem quidam physice explicantes calorem statuunt M. 2.

U.

Univirae et multivirae in sacris nonnullis adhibitae F. 24.

V.

Vates et daemoniaci F. 27.
Veneris Virginis aut Iunonis nomine Assyrii aerem coluerunt M. 4. nominis etymon M. 17. Veneris in infamiam Adonidis simulacrum per Vulcanalia circumlatum et stercoribus iactatum P. 140.
Venus sine Libero et Cerere friget F. 20. Adonidem amat M. 9. meretrix templo consecrata et aucta a Cinyra Cyprio rege M. 10. a Diomede vulneratur M. 12. Anchisae cubile sectatur ibid.
Vesta ignis est M. 14. quae sit nescire vel ipse eius sacerdos fatetur P. 127. prima vestem contexuit et Vulcano dono dedit P. 132 sq.
Vestales Virgines adulterae supplicio affectae ab Antonino Severi filio F. 25. draconem nutriunt quinquennibus epulis P. 142 sqq.
Vestis a Vesta dicta P. 132.
Virgilius citatur F. 19. P. 55.
Vulcanalibus Soli vestes suspendi solitae P. 138 sq.
Vulcanus deorum omnium primus F. 21. claudus ibid. quia a patre praecipitatus pedem fregerat M. 12. Veneris maritus M. 9. Vestae ignis cultum monstravit P. 134. vestem a Vesta

oblatam dedit Soli, quod Martis adulterium cum uxore commissum aperuerat P. 135 sqq. formam Dei veri videri posse et ideo quaeri non oportere F. 19.

X.

Xenophanes Deum esse dixit omne infinitum cum mente F. 19.


Xenophon Socraticus negavit

Z.


Zagrei crepundiae M. 6.

Zenonis philosophi de Deo opinio F. 19.

Zeuxippe a Iove stuprata M. 12.



Impressit Bernh. Tauchnitz jun.


UNIVERSITY OF ILLINOIS-URBANA
3 0112 097571126